



## AUCTOR LECTORI CANDIDO S.



**M**IRARI sæpè soleo, qui factum sit, ut cùm cæteris ferè religiosorum hominum Ordinibus sui Præcones obtigerint, nemo extiterit hæctenus, qui Illustris familiæ Præmonstratensis res gestas literis consignaret. Quod quidem etsi lapsorum fortassè sæculorum infelicitati, aut Majorum nostrorum incuriæ adscribi queat, tamen quod bellicosus olim gentibus, idem Norbertinæ huic familiæ adversus carnem, Mundum, Diabolum, itémque hæreses ac corruptos hominum mores jam inde ab origine admodum strenuè decertanti, usu venisse videtur; ut præclaras res gerere, quàm scribere gloriosius existimavit; Nam præter cæterorum Religiosorum cœtum morem, hoc Præmonstratensis Canonici penè proprium ac perpetuum est, ut paræciis seu curis pastoralibus cùm in urbibus, tum in pagis præfecti, cogitationes omnes suas actionésque in procuranda suorum salute subditorum defigant. Quoniam itaque minus fortassè ipsis est integrum, illustria majorum suorum facta variis è locis librisque conquirere, videri queat id ipsum officii ratio à nobis postulare. Nemo enim est, qui nesciat, quantum B. Norberto, ejusque fodalibus Ecclesia & Respubl. nostra Antwerpiensis debeat: quod quidem hic recensere quia prolixius foret, Chronicum nostrum ad annum 1124. Lector consulat Operæ autem pretium me facturum existimo, si pauca quædam hoc loco de Ordinis Norbertini instituto ac forma in communi dixerò.

Familia ergo Norbertina cœtus est non Monachorum propriè, sed Canonicorum Ordinis S. Augustini. Hoc enim nomine appellatur, etsi alterum nequaquam aspernatur aut rejicit. Ejus vita neque in sola contemplatione, neque in sola actione, sed in utraque simul posita est; nec suæ tantum, sed & alienæ salutis curam gerit. Habent ferè singula hujus Instituti Monasteria Paræcias sibi annexas plurimas, quibus Præfecti seu Pastores è numero Religiosorum dari solent. Quod ut huic Ordini inter cæteros penè est proprium, sic & afflictæ Dei Ecclesiæ in hac tanta bonorum Pastorum inopia quàm maximè commodum. Jure itaque Norbertina Monasteria, sæcunda Parochorum sive Pastorum seminaria quis nuncupet,

Nam ut à Brabantia nostra exemplum sumamus. Sunt in ea Monasteria, quæ quindecim, alia viginti, nonnulla Pastores triginta, aut circiter emittunt, ut in Campania nostræ Brabanticæ tractu hodie centum plus minus Pastores numerentur ex Brabantinis vicinisque Præmonstratensis Instituti Monasteriis profecti.

Cæterum ut alia Religiones ferè, sic & Norbertina Odeium seu chorum habet, & septies horas Canonicas die noctuque decantat, utiturque Breviario seu officio Ecclesiastico proprio, atque à Romano nonnihil diverso, quod Lutetiæ Parisiorum identidem varia forma, & nuper Lucæ in Moravia, jussu Abbatis Lucensis, in folio regiâ forma est excusum. Habet & Missale Breviario suo conforme, itémque Statuta seu leges distinctionibus seu libellis quadripartitas, typisq; anno millesimo quingentesimo quinto evulgatas. Solent autem Nobertini, ut hodie Carthusiani, perpetuò à carnibus abstinere certis anni temporibus, at hodie non, nisi certis anni temporibus.

Gubernationis porro hæc est ratio. Universi ordinis Præfectus generalis & quasi Princeps hæreditarius est Abbas Monasterii Præmonstratensis, in Diocesi Laudunensi à B. Noberto fundati, à quo & familia universa cognomentum induit. Hujus munus est,

Collect. Script. Monast. Tom. VI.

(A)

Provin-



Provincias omnes, quas *Circarias* vocant, obire, disciplinam collapsam instaurare, aliaque id genus ex Autoritate præstare. Solet autem Abbas Præmonstrat. olim eligi ab Abbatibus Laudunensi, Floreffienfi & Cuijsiacensi. Abbates autem hujus Ordinis sunt perpetui, exceptis tamen Hispaniæ Abbatibus, qui non nisi triennio præsumt, quod Pontifex Max. & Rex Hispaniarum à triginta circiter annis certas ob causas constituerunt.

Consecrantur autem seu benedicuntur solenni ritu ab Episcopis, mitraque ac pedo pastorali, cæterisque Episcopalis dignitatis insignibus in sacris solennibus utuntur, idque ex Indulto Apostolico, quod variis temporibus singuli ferè Abbates à Romanis Pontificibus impetrarunt. Nam etsi jam inde à primis Religionis exordiis plerorumque Monasteriorum Præfecti, Abbates appellati sint, Episcopali tamen mitrà olim haudquam usos fuisse constat, idque vel ex Innocentii 3. diplomate Romæ, 4. Maji, anno 1198. dato, quod suo, à nobis, loco citabitur.

Porro communis omnium hujus Ordinis Alumnorum vestitus est candidi coloris, ut jure CANDIDISSIMUS ORDO nominetur. In divinis autem officiis induuntur & *superpellicio*, ut vocant, ex lino subtili.

Cur vero suos candidâ veste B. Norbertus uti voluerit rationes atque exempla aliquot sacris è litteris petit, ut videre est in Historia vitæ ejus Cap. 24. Quanquam & illud hîc nequaquam est prætermittendum, quod universi Ordinis Patres, unanimiter asserunt, è cœlis, scilicet à Deiparâ Virgine, ministerio Angelorum vestem candidam illi dimissam esse, jussûmque se suosque eâ vestire. Quâ de re etsi vetustioris alicujus Scriptoris perspicuum testimonium non viderim (uti multa à me nondum visa) perpetua tamen Patrum traditione id ipsum ad nostra usque tempora manavit. Hinc in plerisque Præmonstratensis Ordinis Ecclesiis, picturas vetustissimas hoc ipsum exprimentes est videre. Sed & Ordinis hujus Breviariis Superiorum jussu editis, præfixa imago idem demonstrat, hac adhibita inscriptione:

*Cum Pater ad superos animum Norbertus haberet,  
Et precibus peteret quo se velaret amictu  
Angelus accelerat cælo demissus ab alto,  
Induit & tunica niveo candore micante.*

Legitur & alterum ibidem F. Antonii Trumellii carmen rei plenum:

*Quam color gratus Domino sit albus,  
Hinc patet, quando est oculos micantes  
Transfiguratus, niveasque vestes*

*Visus habere.*

*Angelos binos Mariæ in sepulchro  
Tot viros Christo redeunte in altum,  
Plurimi cernunt niveas habentes*

*Undique vestes.*

*Hinc Joanni Dominus revelat  
Vestibus multos niveis amictos  
Qui Deo dignas canerent in omni*

*Tempore laudes.*

*Hæc satis gratum Domino colorem  
Candidum dicunt, simul hoc ab alto  
Missæ Norberto poterit probare*

*Candida vestis.*

Id ipsum non in Gallia modò, sed in intima quoque Germania certum testatûmque jam olim habitum, testis est Caspar Bruschius, qui in sua Monasteriorum Germaniæ Chronologia Urspergense Monasterium describens, hos versiculos interferit.

*Qui Christo intrepido pia pectore jura fatentur,  
Et Domini debent pascere ritè gregeem,  
Hos vitæ, certè integritas purissima, mentis  
Candor, & ingenuus, dexteritasque decent.*

*Hoc Regina poli voluens in pectore circum,  
Quæ Dominum vitæ, mater honesta tulit,  
Præmonstratenses æternæ lumina vitæ  
Monstrantes, quæ sit vitæque grata Deo.*

*Pura uti voluit veste & candore notatâ,  
Ut candorem animi significaret, opes  
Mentis opes, quibus haud meliores sustinet orbis,  
Quas quicumque tenet, optima quæque tenet.  
Idcirco hanc olim à summo demisit Olympo,  
Dixit, & hoc animi pignus habeto mei.*

Sic



*Sic ego candida cœlorum Regina per orbem  
Aethereos curru splendidiore feror.  
Hoc meus est gnatus candore notabilis, omni  
Nigritie cuius pectora sancta vacant,  
Tales ipse esse decet vos nempe ministros,  
Quales hæc vestis vos monet atque jubet.*

Neque verò quenkam movere debet, Scriptorem vitæ S. NORBERTI hujusce rei non meminisse, cum idem ipse in sua præfatione, (quæ in manuscriptis codicibus passim extat, à Surio tamen prætermittitur) testetur, multa se propter obstinatum quorundam impudentiam omisisse, eaque duntaxat attigisse, quæ omnibus nota essent, neque ipsi ulla improbitate audent diffiteri. Itaque, ut singularis illa prærogativa fustigationi futuræ fortassis erat obnoxia, videtur hic scriptor hanc ipsam maluisse hominum traditioni relinquere, quàm literis eam consignando, reliquam vitæ Beati NORBERTI feriem cauillationi exponere. Quanquam quid est, quod hic quispiam fugillet? cum similia aliis sanctis viris beneficia divinitus concessa legamus? Suffecerit unius S. Ildefonsi, Toletani Episcopi exemplum, qui (ut Martyrologii Romani verbis utar) ob singularem vitæ integritatem susceptamque defensionem adversus Hæreticos DEI genitricis Virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste donatus est, ac demum sanctitate celebris in cœlum vocatus. Huc etiam facit, quod Deiparam Virginem Patronam ac Tutelarem Divam univèrsus Ordo Præmonstratensis agnoscat, suæque omnia eidem secundum Deum ferat accepta.

Cæterum ut & hoc obiter addam, post D. Virginem ut Patronos singulares atque apud Deum primarios Intercessores habet hic Ordo S. Johannem Baptistam, & D. Augustinum: summum illum Ecclesiæ Doctorem; Johannem Baptistam quidem quod (ut in Breviario Præmonstrat. legitur) cum B. NORBERTUS Ecclesiam S. Martini Laudunensis certis de causis reliquisset, post varia loca explorata tandem ad locum, qui Præmonstratum, vel Præmonstratus locus vocatur à Bartholomæo Laudunensi Episcopo sit perductus ad Ecclesiam, in honorem DEI & memoriam S. Johannis Baptistæ constructam, raris tunc incolis inhabitatam: Hæsit itaque in dicta Ecclesia B. NORBERTUS, sic tamen, ut ea sedes principalis non manferit, sed ex aliâ parte montis vicini, novam sibi suisque ædificaverit mansionem. Extat autem hodièque Sacellum istud S. Johanni Baptistæ sacrum, haud longè à Præmonstratensi cænobio situm.

De S. Augustini patrocínio nihil opus est dicere, cum omnibus notum sit, Præmonstratenses ex præscripto Regulæ S. Augustini (quam & alii ferè triginta Religiosorum hominum cœtus jam olim amplexi sunt) vitam suâ instituere. Quod quidem quanto judicio suis B. NORBERTUS præscripserit, in historia vitæ ejus cap. 24. est videre: ut equidem mirer D. Antoninum in sua historia, & Philippum Bergomatem in supplemento Chronicorum, Norbertinos regulæ Sancti Benedicti adscribere. Maximè quando ipse Divus Augustinus apparuit, & tradidit regulam suam B. Norberto, uti legitur in vita B. Godefridi Comitis Cappenbergensis.

Porrò candidissimus hic ordo univèrsam penè terrarum orbem, sanctitatis opinione, sui que instituti monasteriis jam olim complevit. Non enim in Gallia, Germania, Lotharingia, Belgica, atque Hispania tantum (quibus in Provinciis etiamnum viget plurimum) sed & in Italia, Sicilia, Cypro, Syria, Ilirico, Anglia, Scotia, Hibernia, Norwegia, aliisque regionibus, plurima eaque amplissima habuit monasteria. Quorum quidem catalogum videre si quis volet, eum ipsum Chronico nostro subjunctum inveniet.

Cæterum & in urbe ipsa Roma S. Alexii domus olim Norbertinæ familiæ monasterium fuit, Abbatiali titulo insignitum, idque beneficio Gregorii IX. Pont. Max. quam tamen domum hodie Hieronymiani Sodales possident, à Lupo Olivetano, Hispalensi, Generali illius ordinis Præfecto, ibidem collocati.

Est autem totius religionis mater & caput, Archicænobium Præmonstratense, ad quod olim Abbates univèrsi, aut ex Provinciis, feu *Circariis* singulis duo saltem capitulum generale, ut vocant, celebraturi Dominica secunda post Pascha convenire solent. Estque hæc prima (ut vocant) Abbatia: Secunda verò est Laudunensis D. Martino sacra: Tertia autem Floressiensis in Diœcesi Namurcensi, apud Belgas sita. (Unde & Abbas Laudunensis univèrsi Ordinis Prior, Floressiensis verò Supprior à quibusdam nominantur) Quarta verò est Cuissiacensis. Unde & hi quatuor Abbates totius ordinis Patres, ut vocant, Abbates nuncupantur. Atque ut cæteras omnes Ecclesias Abbas Præmonstratensis visitat ac reformat: sic & Ecclesia Præmonstratensis per tres istos Abbates Laudunensem, Floressiensem & Cuissiacensem visitari solet.

Fuere autem ordinis hujus Provinciæ (quas vulgò *Circarias* vocant) ferè triginta & mille trecenta circiter virorum monasteria, præter Virgii. um claustra quàm plurima. Fuit item nonnullis olim monasteriis dignitas Episcopalis annexa: ut in Chronico ad annum



millesimum quadringentesimum octogefimum ostendemus ; Quæ quidem omnia dignitatem ac præstantiam hujus Ordinis commonstrant.

Cæterum candidi Ordinis hujus initium, etsi quidam ad annum Christi 1116. Martinus Polonus ad annum 1119. Nonnulli verò ad annum 1137. Plerique tamen scriptores ad annum 1120. referunt: Ut Robertus Normannus, Abbas Montis Navalis, in appendice ad Chronicon Sigeberti Gemblacensis, Vincentius Belvacensis speculi historialis lib. 26. cap. 28. Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Christianus Maffæus in Chronicis, aliique. Quibus consonant & versiculi isti Echoini, à multis retrò seculis omnium ore decantati:

*Anno milleno, centeno, bis quoque deno,  
In Præmonstrato fundatur Candidus Ordo.*

Cœpit itaque initium Ordo Præmonstratensis anno ut diximus, 1120. qui secundus & vicesimus annus est ab Ordinis Cisterciensis institutione: Quo quidem tempore S. Bernardus pastorali curæ in Claravalle operam dabat. Porro de familiæ Cisterciensis origine extant & hi versus Echoini, quos etsi rudi illo seculo pariter natos, haut abs re fuerit attextuisse.

*Octavus nonagesimus millesimus annus  
Exstabat, quando cœpit Cistercius Ordo.*

Plura si voles, mi Lector, de Ordinis Præmonstratensis origine ac progressu: Præter Vincentium Belvacensem, Robertum Abbatem, & Trithemium, supra citatos, legas & D. Antonium in historia sua, Jacobum Philippum Bergomatem in Supplemento Chronicorum, Bartholomæum Cassanæum in Catalogo Gloriæ mundi, Thomam Bozium lib. de notis Ecclesiæ, aliosque. Si quæ autem habes præter ista à nobis observata, (ut plurima variis in locis adhuc latere non dubito) majorem in modum rogo, ut ea candidè nobiscum communicare, in publicum Ecclesiæ ac familiæ NORBERTINÆ bonum, non graveris. Equidem dabo operam, ut apud gratum memorumque positum beneficium aliquando agnoscas. Vale & conatibus hisce nostris fave.







# CHRONICON

## ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.



**S.** NORBERTUS instituti Præmonstratensis Auctor & Princeps, natus est Sanctis in Diœcesi Coloniaensi, parentibus nobilissimis Heriberto & Hadewige. Est autem Sanctense opidum in ruinis Trajanæ Coloniae, haud longè à Rheno Fluvio extractum, hodièque peramplo Canonicorum Collegio admodum celebre, in ditione Clivenfi: quod à S. Victore aliisque CCCXXX. Sanctis Martyribus, Thebææ legionis, ob Christianam Religionem in pratis virentibus ad Ulpia castra Coloniaeque Traianam, Maximiani Imperatoris jussu, anno circiter 298. occisis. cognomentum induit. Unde & in basilicæ Sanctensis ingressu titulus iste jam olim inscriptus legi solet, *Ad Sanctos Martyres.*

Quorum quidem Martyrum ossa non diu post Diva Helena Constantini Magni Augusti mater, è paludibus collecta, in oculis condidit, & augustissima æde sacra, Collegioque sacerdotum insigni, Sanctorum Martyrum memoriam in eadem Colonia Trajana honoravit.

Matris pietatem æmulatus Constantinus Imperator Sanctensi Basilicæ asyli jus concessit, & eximia privilegia indulxit, agrisque locupletem ac florentem reddidit: uti constat ex Stephano Vinando Pighio, Campensi in Hercule Prodigio An. 1115. Hujus porro vetustissimi amplissimique Collegii Canonicus annos aliquot fuit Nobertus, ordinatusque est Subdiaconus in Sanctensi Ecclesia adhuc residens, *Sicuti patet ex Scriptore vitæ Sancti Norberti cap. 8.*

Anno circiter millesimo centesimo decimo quinto Norbertus ætate florens ac facundia, summisque Principibus, in his Frederico Archiepiscopo Coloniaensi, & Henrico IV. Imperatori, quorum in oculis olim vixerat, gratus ac perfamiliaris, divino feruore accensus, relicta sæculi pompa, uno & eodem die Diaconus ac Presbyter ab eodem Frederico ordinatus, & Christianæ paupertatis vestem pelliceam, scilicet agninam, id est, ex aliquot agnorum pellibus confutis aptatam adsumit. *Robertus Normannus. Abbas montis Navalis in appendice ad Chronicon Sigeberti Gemblacensis. Item scriptor vitæ ejus. Cap. 3.*

ANNO 1116.

Beneficiis ac redditibus Ecclesiasticis, in manus Frederici Archiepiscopi resignatis, venditoque patrimonio ac pauperibus erogato, præter marcas decem & mulam unam cum duobus sociis laicis NORBERTUS peregrinationem instituit. Cumque Huium (quod opidum est ditionis Leodicensis ad Mosam fluvium) venisset, ea etiam, quæ suis suorumque usibus adservaverat, pauperibus distribuit, & nudus nudum Christum sequens, in Galliam ad S. Aegidii opidum, ubi tum Gelasius II. Pont. Rom. agebat, se contulit. A quo benignè humaniterque acceptus, cum instituti sui rationem eidem aperuisset ac comprobasset, prædicandi verbum DEI ubicunque locorum facultatem & auctoritatem accepit, litteris etiam Apostolicis eum in usum impetratis. *Continuator Sigeberti, & scriptor vitæ S. NORBERTI. Cap. 10.*

Gallicanâ peregrinatione peractâ, cum Valentianas (quod opidum est celebre ad Scaldim fluvium in Hannonia) NORBERTUS pervenisset, ibique populo DEI verbum Dei interpretaretur, tres ejus focii, quorum duo erant laici, tertius verò Subdiaconus, qui se illi Aurelianis adjunxerat, piè ibidem in Domino obdormierunt.

Sed haud multò post, Deo sic ordinante, Clericus quidam piæ ac sanctæ conversationis, Hugo nomine, qui in contubernio Burchardi Episcopi Cameracensis agebat, *Collect. Script. Monast. Tom. VI.*

(B)

relictis



relictis sæculi pompis illi accessit; & ipsdem se pijsimis exercitiis tradidit anno 1118. mense Julio. *Scriptor vitæ ejus. cap. 12. & 13.*

## ANNO 1119.

Anno 1119. Gelasio II. Papa IV. Kalen. Februar. Cluniaci defuncto, succenturiatus est Calixtus II. qui concilium à Prædecessore suo indictum, mense Octobri Remis in Gallia celebravit. Quo quidem Norbertus nudis, pro more suo pedibus, cum Hugone socio, profectus, animi sui proposito cum illo communicato, facultatem litterarumque à Gelasio II. obtentas, à Calixto auctas confirmatasque impetravit. *Scriptor vitæ ejus cap. 18. & Balduinus Ninivensis in Chronico suo manuscripto.*

## ANNO 1120.

Norbertus à Calixto II. Bartholomæo Laudunensi Episcopo ferè commendatus, cum ei B. Martini Ecclesiam Episcopus obtulisset, tum propter urbis viciniam (erat enim in suburbiis sita) tum quod illius Ecclesiæ Clerici seu Canonici à proposito, vitæque ejus austeritate abhorrent, eam reliquit, atque è variis ejusdem Provinciis locis Religioni congruentibus, sibi ab Episcopo ostensis, tandem locum, qui Pratum monstratum, seu Præmonstratum vocatur, divinitus elegit: Eodem tamen ipso anno, adjuvante Bartholomæo, Episcopo jam dicto, seculari B. Martini Laudunensi Ecclesia à Norberto conversa est in regularem.

Transactò hyemali frigore, vir Dei more suo ad feminandum Dei verbum egressus, solus Cameracum venit, ibidemque sermone ad populum habito, semen cecidit in terram bonam, in juvenem scilicet Evermodum nomine, qui mox relictis omnibus, secutus est eum, totoque vitæ decursu, eidem individuus comes adhasit.

Inde Nivigellam (opidum id est nobilium Canonicarum Virg. collegio à S. Gertrude Pipini I. Brabantiae Ducis filia instituto celebre, in Gallobrabantia situm, quod Nivelham hodie vocant) profectus, alterum ibi juvenem Antonium nomine à Deo sibi datum adscivit. Atque hi duo quidem, cum tertio illo Hugone scilicet, de quo paulò ante diximus, radices ac fundamentum fuere multitudinis paulò post secute.

Deo itaque piis viri cœptis aspirante, factum est ut intra quadragesimalis illius jejunii tempus, socios in universum tredecim collegerit, secumque ante Pascha Præmonstratum adduxerit. *Continuator Sigeberti, & Scriptor vitæ ejus cap. 19. & 20.*

Norbertus Nivigellam concionandi gratia iterum profectus, ibidem puellam à proteruo dæmone obsessam SS. Missæ officio oblato, liberat, quò factum est, ut omnis eum populus tanquam virum Apostolicum suspiceret, ac veneraretur. *Scriptor vitæ ejus cap. 22. Et continuator Sigeberti. Qui tamen hic & alibi in supputationibus annorum nonnihil aberrat.*

Exinde Coloniam Agrippinam, ad quærendas Sanctorum reliquias Norbertus se contulit, cumque jejunium fociis suis indixisset, noctu una ex undecim millibus SS. Virginum B. Ursulæ sodalium apparens, nomen & locum, ubi corpus suum jacebat, indicavit: quod insequenti die solemniter elevatum, cum aliis sanctarum reliquiis, ad monasterium suum Præmonstratense Norbertus post transtulit.

Sequenti verò die ad S. Gereonem Coloniae pernoctans, aurora exorta in medio templi, ubi nullum sepulchri signum apparebat, fodi jussit, & S. Gereonis Martyris (Maximiani Imperatoris jussu olim cum aliis 318. Thebææ legionis militibus, anno circiter 298. occisi) corpus integrum, præter partem capitis, quæ ibidem à multis retro sæculis seorsim honorificè adservabatur, invenit. Sacrum itaque corpus cum ingenti totius populi lætitia de terra levatum est, parsque viro Dei donata. Sicque duo vascula variarum sacrarum reliquiarum, puta SS. XI. millium Virginum, SS. Martyrem Thebæorum secum Norbertus avexit. *Continuator Sigeberti, Thritem. in Chronico Hirsaugiensi & cat.*

Porro res istæ apud Coloniam gestæ, occasionem Beato viro dederunt, ut de visionibus suis libros tres, sermones item de obitu Sanctorum ad populum plures conscriberet, teste Guiliemo Eisengrenio in Catalogo testium veritatis orthodoxæ Ecclesiæ Doctorum.

## ANNO 1121.

Norberto itaque Colonia cum reliquiis sacris Præmonstratum festinanti, in via occurrit Ermenfondis, Comitissa Namurcensis, Godefridi Comitissæ uxor, & Ecclesiam in villa sua Floressia, ad collocandos in ea fratres cum amplissima dote obtulit. Quam vir sanctus acceptans, alterum reliquiarum Vasculum Floressiæ reliquit, quod ibidem hodieque honorificè asservatur. *Scriptor vitæ ejus cap. 13.*

Libet verò paulò fufius hæc explicare ex veteri tabula Ecclesiæ Floressiæ, cujus hæc est inscriptio: Anno Domini M. C. XXI. in Conversione S. Pauli Apostoli hoc monasterium Floressiense Ordinis Præmonstratenfis cœpit initium sub Domino Venerabili



bili Norberto, primo Patre & fundatore dicti Ordinis, obtinente ab illustri viro Domino Godefrido Namurcensi Comite, locum ac fundum hujus monasterii, in quo ædificari fecit Ecclesiam parvam, quæ modò Salve vocatur, & dormitorium cum debitis officinis, in quo ordinavit Dominum Richardum primum Abbatem ejusdem. Postmodum dicto Monasterio in facultatibus ampliato, hæc major Ecclesia ædificari cœpta est 1111. Idus Aprilis anno 1165. à Dominis Reinaldo Coloniensi Archiepiscopo, & Alexandro Leodicensi Episcopo, & Henrico Comite Namurcensi, supradicti Comitis Godefridi filio, atque Alberto Regis Bohemiæ filio, sub Domino Gerlando tertio Abbate Floreffienfi; fuitque hæc secunda Ecclesia Anno Domini M. CC. L. Idibus Novembris consecrata à Domino Petro Albanensi Episcopo S. Rom. Ecclesiæ Cardinale, & totius imperii Legato; adjuncto sibi Domino Jacobo Atrebatensi Episcopo, in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & Beatæ Virginis Mariæ, S. Joannis Evang. & omnium Sanctorum: Hujusque Ecclesiæ dedicationem instituit idem Legatus celebrari Dominica proxima post festum B. Martini. *Hactenus ex tabula.*

Cæterum Godefridus Comes Namurcensis in Floreffienfi monasterio à se condito, postmodum *Conversus*, ut loquuntur, factus est, quiescitque ante aram summam cum uxore sua Ermenfende, & Henrico filio, ejusque conjugè Agnete.

Est autem Floreffienfis Abbatia, secundo ferè à Namurco milliari, ad Sabim fluvium sita, cum honore tum antiquitate inter Præmonstratenses Abbantias Belgicas (quæ numero ferè triginta sunt) prima, atque inter universi ordinis cæteras tertia. Est enim Abbas Floreffienfis inter universi ordinis patres Abbates, ut vocant, tertius: Ejus autem dignitatis quatuor sunt, Præmonstratensis, Laudunensis, Floreffienfis, Cuißiacensis. Atque hi quidem tres posteriores, sede Præmonstrate vacante, novum Præfectum generalem eligere solent, itemque Ecclesiam in Præmonstrato fundatam, annuatim visitare: ut habent statuta ordinis (de quibus supra in præfatione diximus) dist. 4. cap. 10. Et diploma Alexandri III. Pont. Maximi infra citandum. Hodie tamen Reges Galliæ non patiuntur sui regni Monasteria à Prælatibus Belgicis visitari. Solet verò Abbas Floreffienfis in Belgio ferè constitui Vicarius Generalis, quod in eodem solus fit Pater Abbas. Habet idem Abbas Floreffienfis sub se alios Abbates quinque, quibus ipse specialiter, ut Pater Abbas præest, quosque ad Abbatialem dignitatem electos, sua confirmat auctoritate. Sunt autem hi, Helleßimensis in Brabantia, Belli Reditus in urbe Leodiensi, Lefßienfis apud Dionantum, Romersdorpiensis in Diœcesi Colon. & Septem-Fontium in Remensi, Abbates. Sunt enim Ecclesiæ istæ ex Floreffia, velut filiæ quædam prognatæ, uti & Abbatia S. Abacuc, quæ olim in Syria floruit. Habet insuper Floreffia sibi annexas domos tres celeberrimas, quæ minora quædam Monasteria jure dixeris: quibus Abbas Floreffienfis Magistratos seu *Provisores*, ut vocant, præficere solet, missis eodem aliquot è suo corpore Religiosis. Tenentur autem dicti *Provisores* Abbati Floreffienfi acceptorum expositorumque quotannis reddere rationem. Domus istæ tres sunt. Postula in Campania, Brabantica, Harlaymunda in Hannonia, & Vanzia in agro Leodicensi. Adhæc præter Parochias sex, quibus ferè seculares sacerdotes Abbas Floreffienfis præficere solet, sunt aliæ viginti, quas Religiosi Floreffienfes administrant. Sunt & Floreffia reliquiæ Sanctorum plurimæ, imprimis in vasculo quodam seu feretro, quod S. Norbertus Colonia Floreffiam attulit, sunt plurimæ reliquiæ SS. XI. millium Virginum, SS. Martyrum Thebæorum, SS. Evaldorum Fratrum Martyrum, &c. Item attulit eodem S. Norbertus Brachium S. Gereonis, quod thecæ auro obductæ decenter inclusum est. De S. Crucis Dominicæ parte infra porrò dicemus.

Norbertus Floreffia Præmonstratum cum altero sacrarum reliquiarum vasculo, novitiis Fratribus, partim Clericis, partim Laicis, circiter 30. comitatibus reversus; cum 40. circiter Clericos in universum, & Laicos plurimos jam collegisset, variis vitæ generibus diligenter excussis, juxta Apostolicam demum institutionem, & Canonicam B. Augustini Regulam eos votum Professionis emittere docuit, atque ad voluntariam paupertatem, promptam obedientiam, cæterasque militiæ spiritalis arma eosdem sedulò formavit.

Milo Vir Sanctissimus anno 1121. creatur Abbas Monasterii S. *Judoci in Nemore*, quo in loco Præmonstratense institutum florere cœperat anno 1120. ut habent ejusdem cœnobii monumenta. Vocatur autem hodie monasterium hoc, *Domini Martini Abbatia* apud Hesdinium opidum in sinibus Artesiæ sita: cui hodie laudatissimè præest *Michael Ghierius*, Truncinio, ad eam præfecturam evocatus: cujus nos laboribus in hoc Chronico adornando non mediocriter adjuti sumus. A quo & S. Bafini Regis & Martyris, ejusque filiæ S. Aldegundis Virginis vitam seu res gestas exspectamus.

Cæterum ex hoc *Nemorensi* S. *Judoci* Monasterio alia novem suam traxere originem: quæ ejus idèd filiæ appellantur: videlicet Marcedium Radulphi, Cœnobium Ambianense, Selincurtis, S. Andreæ, Seriacum, Blancalandia, S. Justi, Lucerna & Falesia: de quibus



bus singulis suo infra loco dicemus. Adhæc testantur Archiva Dommartinensia, habuisse olim hoc Monasterium Prioratus decem sibi subiectos. Erant autem Prioratus velut Coloniae quædam minores, in quibus tres quatuorve Religiosi agebant.

## ANNO 1122.

Norberto ad Rhenanum tractum profecto, cum longè lateque sanctitatis ejus fama jam pervagaretur, *Godefridus Cappenbergensis* in Westphalia Comes ad eum venit, prædiæque sua universa divino cultui per eundem mancipanda obtulit. Castrum itaque Cappenbergense anno, ut arbitror, 1122. in Monasterium Ordinis Præmonstratensis à Norberto convertitur, aliaque duo Monasteria Varlarense, & Elestatense in Godefridi prædiis construuntur: Ipse verò Godefridus uxore consentiente (quæ & ipsa sacrum velamen post suscepit) idem vitæ monasticæ genus una cum Ottone fratre suo germano, rarò sanè atque inusitato in Deum pietatis exemplo, amplexus, multis virtutum documentis suos inter claruit. Ut in historia vitæ ejus, à Surio tom. 7. edita testantur fratres Cappenbergenses. Cæterum plura de Cappenberga, & monasteriis, ceu filiabus ex se ortis. vide infra anno 1157.

Hujus Godefridi nobilissimi Comitis exemplo compunctus postea *Theobaldus* Comes Francus, prædiæ sua pariter universa *Norberto* in Franciam venienti ad usus pios obtulit. Sed justis de causis, cum matrimonium illi vir pius suassisset coniugem illi procuravit filiam Engelberti cujusdam Marchionis Germanici, cui id temporis frater erat Episcopus Ratisbonensis. *Continuator Sigeberti, Scriptor vitæ Sancti Norberti cap. 28. 29. 32. & sequentibus.*

Fuit autem Comes iste *Theobaldus* admodum potens, atque à Rege Galliarum ferè secundus, utque erat erga religiosos viros ac pauperes admodum liberalis ac munificus, duos perpetuo Canonicos ordinis Præmonst. domi suæ aluit, quos eleemosynis pauperumque curationibus sua in ditone præesse voluit. De his & aliis ejus virtutibus plura qui volet, *legat historiam vitæ S. Bernardi l. 2. cap. 5. & 8. Et l. 4. cap. 3.*

Monasterium Marchadianum, quod vulgò *Marchadium* seu *Marchasius* Radulphi dicitur, apud Normannos in diœcesi Rothomagensi anno 1122. fundatur; Religiosis aliquot ex Nemorensi S. Judoci monasterio à Milone Abbate, velut in Coloniam eò missis.

## ANNO 1124.

Anno 1124. Norbertus Antuerpiæ in Basilica Beati Michaelis Archangeli, sui instituti Fratres collocavit; cum aliquamdiu antea in Sacramentaria & Adamitica Tanchelini hæresi profliganda laborasset. Cujus quidem rei gestæ feries jure mihi paulò altius repetenda est.

Antuerpiæ (quod opidum amplum & populosum jam tum erat ad Scaldim fluvium) cum sacerdos unicus curam universi populi gereret, neque pastorali suæ curæ præ subditorum multitudine par esset, & vitæ etiam improbitate, (nepti enim suæ in tertia linea sceleratè abutebatur) suis offensionibus esset ac scandalo; Hæresiarcha quidam mirè versutus *Tanchelinus* nomine anno 1112. se extulit, & populum seducendi occasionem arripuit. Erat autem Tanchelinus vir laicus, multis tamen doctis, etiam clericis, loquendo & disputando promptior, atque, ut videbatur, acutior; sed homo omnium sceleratissimus, Dei & Sacramentorum Ecclesiæ, adeoque religionis Christianæ juratus hostis, adè ut Episcopalem & Sacerdotalem dignitatem nihil esse duceret, & SS. corporis & sanguinis Domini Sacramentum ad salutem prodesse negaret. Pretioso apparatu, ac vestibus inauratis splendebat, triplici funiculo crinibus intortis, & auri Phrygij ligamine triplicatis, verbisque persuasibilibus, & conviviorum apparatus multos in sententiam suam pertrahebat. Sequebantur eum tria armatorum millia, quorum opera in sibi resistentes cædibus & ferro sæviebat.

Adhærebant ei quamplurimi, eoque dementiae erant prolapsi, ut tanquam virum sanctum & à Deo missum revererentur, & aquam etiam, qua corpus abluisset, instar reliquiarum asportarent ac biberent. Erat autem tantæ incontinentiæ atque impuritatis, ut filias in parentum præsentia, sponasque maritis intuentibus violaret: quæ quidem nefanda scelera, opera spiritualia appellabat.

Porrò Tanchelino hæresiarcha anno 1115. è vivis sublato, cum hæresis ab eo excitata adhuc ferperet, nec eam Clerici duodecim, à Cameracensi Episcopo Antverpiæ in Basilica S. Michaëlis collocati, extirpare possent, charitate suadente & necessitate cogente, Norbertum, qui tum doctrina & morum sanctitate florebat, dicti Clerici evocarunt, eidemque cum Sodalibus suis strenuè adversus hæreses pugnanti, Ecclesiam suam per manus Burchardi Episcopi Cameracensis, postmodum cum parte agrorum ac reddituum, cesserunt. Cujus quidem cessionis seu donationis exemplar hic augendæ fidei visum fuit subjungere.



In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hildolphus Præpositus S. Michaëlis in Antverpia, tam futuris, quam præsentibus in perpetuum. Qualiter præfata Ecclesia nostra ad usus Canonorum Præmonstratensis Ordinis transierit, & qua de causa assensus Capituli nostri eis datus fuerit, præsentis scripti attestacione notificamus. Cum in diebus nostris quidam Tanchelinus nomine in partibus nostris advenisset, & venenoso sermone à fide, & à Sacramentis Ecclesiæ, plurimos avertisset: hac de causa, ut illa hæresis, quæ provinciam nostram occupaverat, funditus extingueretur, consilio Domini Burchardi Episcopi, & totius populi, & assensu Capituli nostri Dominum Norbertum virum nostris temporibus spectabilis religionis, accersiri curavimus, eique ac suis fratribus, Regulam B. August. servantibus suamque institutionem exequentibus supra dictam Ecclesiam cum capellis in ejus cæmeterio fundatis, & tribus curtilibus & jugero terræ eidem cæmeterio adjacentibus cum 4. Præbendis per manus memorati Episcopi tradidimus, circumspicione vigiles, digneque perpendentes, quod eorum saginaremur orationibus & bonis spiritualibus, si eos sustentaremur beneficiis temporalibus. Nos verò prius numero duodecim, numerum nostrum in octo terminavimus Præbendis, & cum his & Præposituræ nostræ integritatem ad Ecclesiam B. Mariæ in eadem villa transulimus. Cæteras verò 4. Præbendas, per omnia eis consimiliter participantes proprio nostro arbitrio dedimus. Excepto quod allodia & mancipia, quæ usque ad hæc tempora Ecclesia illa possederat, in nostros singulariter usus segregavimus. Baptismus verò celeberrimi temporis, videlicet Paschæ, & Pentecostes, in Ecclesia illa observabitur; reliquo autem tempore Parochianus noster baptizandis providebit. Infirmos autem visitare, & communicare, oleoque inungere, confessiones audire, mortuos sepelire, omnibus hæc ab eis quærentibus liberè concedimus. Ut autem tam præclaræ beneficentiæ fœdus inviolatum & inter nos & ipsos semper permaneat hoc definitum est, ut quodcumque munus infirmus & moriens Parochianus, sive in terra, sive in alia substantia cujusvis Ecclesiæ aliquod obtulerit, aut pro se offerri instituerit, per medium dividatur, quod verò alienus sanus, vel infirmus, aut Parochianus incolumis dederit, Ecclesia, cui hoc datum fuerit, absque partitione possideat. Ipsæ verò Ecclesiæ sedulas in invicem juges sibi debent fraternæ charitatis orationes, in omnibus necessitatibus sese supportantes. Pro comm. oratione verò suæ libertatis utraque Ecclesia persolvat Cameracensi Præfati aureum nummum Antverpiensis monetæ, & ponderis, singulis annis in festo S. Lucæ. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, sigilli nostri impressione, & testium subscriptione, qui interfuerint, & hoc donum dederint annotari curavimus. Ego Hildolphus, Præpositus S. Mariæ, Anselmus Canonicus, Bernardus Canonicus, Giselbertus Boreas, Raduandus Canonicus, 'Ovo Canonicus', Raduandus, scriptor, Rogerius Canonicus, Hildequinius Parochianus. Actum autem est hoc anno verbi incarnati 1124. Indictione secunda, Epacta tertia.

Suscepta itaque Ecclesia Norbertus, pius ac disertus admodum Ecclesiastes, cum per se, tum per sodales suos Antverpiensis urbis incolas ab erroribus ad viam veritatis, recteque vitæ rationem paullatim reduxit: factumque ut ipso concionante compuncti viri & mulieres, sacrum corpus Dominicum, quod in cistulis ac foraminibus decem amplius annos præ contemptu atque incredulitate adservaverant, pœnitentia moti, ad ipsum referrent, atque ad Catholicam unionem reverterentur. Ex quibus liquidò patet, Antverpienses Christianæ Religionis à SS. Eligio & Willibrordo acceptæ, instaurationem, B. Norberto in primis debere.

Clerici verò sive Canonici cum Præposito & reliquis reditibus ad ædem B. Mariæ Virginis eadem in urbe sitam, sese transfulerunt: quam hodieque obtinent, estque augustissima nunc Cathedralis Ecclesia Antverpiensis. *Continuator Sigeberti, Scriptor vitæ S. Norberti. cap. 36. Tritheimius loco citato. Joannes Goropius in orig. Antverp. Et monumenta Ecclesiæ urbisque Antverpiensis.*

Cæterum de Tanchelino, quem alii Tanchelimum nonnulli Tandemum nominant, sic legitur in Archivis Urbis Lovaniensis, Joanne Molano teste lib. de Militia sacra Ducum Brab. cap. 55. Anno 1115. *Godefridus Lotharingæ Dux & Comes Lovaniensis expulit ex suis terris Tanchelimum hæreticum, qui multo tempore regnaverat apud Antverpiam & Lovanium.*

Joannes Goropius libro citato, ait eum Antverpiæ annos ferè decem versatum; Alii addunt & Flandriam itemque Walachriam, cæterasque Zelandicas insulas ab eo hæresibus variis infectas fuisse. Sed adfuit tandem justus & ultor Deus. Nam dum impius hæresiarcha fortè navigat, in ipsa navi super Scaldi fluvio (teste eodem Goropio) existens, à quodam presbytero, zelo Dei accenso percussus in cerebro, miserè interiit, an 1115. teste Meyero in annalibus Flandriæ: qui addit, eum Brugensi urbe à populo cleroque ejectum fuisse anno 1113.

Serpfit autem hæresis post mortem etiam Tanchelini, non modò per Belgiam, sed etiam per Bohemiam, Alsatiam, Thuringiam, vicinasque regiones, ut testatur *Collect. Script. Monast. Tom. VI.* (C) statur



statu Trithemius in Chronico Hirsaugiensi an. 1163. Addit idem Ebertum fratrem B. Elizabethæ Virginis Schonaugiensis, & Abbatem S. Florini in Schonaugia Ordinis S. Benedicti in diœcesi Trevirensi disputasse, librumque conscripsisse contra Catharos (à quibus hodieque hæretici belgicè vocantur *Ketters*) sive Cataphrygos hæreticos, qui erant ex fecibus Tachelini de partibus Flandriæ, ut ipse loquitur. Thomas item Bozius l. de signis Ecclesiæ ait, Tachelini hæresin durasse usque ad an. 1200.

Cæterum Antuerpiensis S. Michaelis Abbatia in ipsis urbis mœnibus amœnissimo loco ad Scaldim fluvium sita, hodieque admodum floret, solita Belgarum Principibus, quoties Antuerpiam excurrunt, gratum præbere hospitium. Sunt autem ex ea, ut filiæ, prognatæ Abbatia viriles tres, *Middelburgensis*, *Averbodiensis*, *Tingerloensis*, itemque Monasterium unum Virginum *Vallis dulcis* nuncupatum in Valachria, Zelandiæ insula olim situm, cujus loci Moniales ab Hæreticis pulsæ, Antuerpiæ hodie degunt.

Libet hoc loco & originem Leodicensis Monasterii, quod *Belli-Reditus* nomen indait, commemorare. Fuit autem hoc Monasterium primò situm in monte Cornelio, unde & montis Cornelii cognomento innotuit. Cæterum loci ejus monumenta testantur Obertum Leodicensem Episcopum an. 1116. in dicto monte Oratorium in honorem XII. Apost. dedicasse & dotasse; quod post Albero Leodicensis item Episcopus anno 1124. in libertate, qua sub sola manu Episcopali ab initio institutionis erat, dato diplomate confirmavit. Sunt autem Præmonst. Floressia ad hoc Monasterium Cornelianum evocati, sub eodem Alberone Præfule. Cum verò mons Cornelii à Prædonib. & malis hominibus infestaretur, translatum est postea Monasterium ad locum, qui *Bellus Reditus*, vulgò *Beurepait* in urbe Leodiensi nuncupatur. Primus Abbas Montis Cornelii fuit Lucas, vir egregiè doctus, qui teste Trithemio & Sixto Senensi, scripsit in Cantica Cantorum ad Milonem Tarvacensem Episcopum: Itemque sermones & Epistolas plures. floruitque anno 1130. Errat tamen Trithemius (quem temerè secutus est Sixtus Senensis) dum suis eum Benedictinis adscribit.

B. Norbertus ad Honorium II. Papam, Calixti successorem, Romam profectus, ab eodem honorificè susceptus instituti seu ordinis sui approbationem impetravit Diplomatis Pontificii id temporis, aut paulò post dati exemplar hic addam:

*HONORIUS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Norberto Fratri in Chronico & Canonicis Præmonstratensis Ecclesiæ S. Mariæ, eorumque Successoribus regularem vitam professis in perpetuum.*

*Apostolica disciplina sectantes vestigia, mundanis quidem pompis & possessionibus abrenuntiant, & Domino totis annisibus famulantur: Isti ergo si bonum, quod inceperint, confirmaverint in extremo examine Judicis stolam immortalitatis & perpetuam gloriam sunt adepturi. Quia igitur vos religiosè vivere & Canonicam vitam secundum B. Augustini institutionem ducere, inspirante superna gratia, decrevistis, propositum vestrum sedis Apostolica auctoritate firmamus, & vos firmos ad remissionem peccatorum vestrorum in eo persistere exhortamur. Statuimus itaque ut in Ecclesiis, in quibus fratres vitam Canonicam degunt, nulli hominum omninò liceat secundum B. Augustini regulam. ibidem constitutum ordinem mutare. Nullus etiam Episcoporum futuris temporibus audeat ejusdem religionis fratres de Ecclesiis vestris expellere, nec professionis Canonicæ quispiam ex eisdem Ecclesiis aut claustris audeat sine communi congregationis permissione discedere: discedentem verò nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum sine communium litterarum cautione suscipere. Bona etiam & possessiones, quas justè & legitime possidetis presentis scripti nostri pagina confirmamus. Quæcunque præterea in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, vel aliis justis modis canonicè poteritis adipisci firma vobis vestrisque successoribus in sancto religionis proposito permansuris & illibata serventur. Decrevimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat easdem Ecclesias temerè perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis sagitationibus vexare, sed omnia integra serventur, regularium fratrum & pauperum usibus profutura: Salva diœcesanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit: secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eisdem Ecclesiis jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic & fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.*

ANNO 1125.

B. Norbertus dum Romæ versatur, Magdeburgensis urbis in Germania admodum celebris (græcè *Partenopolim* vocant) futurum se aliquando Episcopum divinitus cognoscit. Ex urbe itaque in Germaniam reversus, cum Herbipoli in festo Paschæ, sacrum Missæ officium in summa populi frequentia celebraret; cæca mulier, ipso post sumpta SS. mysteria in oculos ejus sufflante, visum recuperat. Quo factum, ut ditissimi quidem



dam compuncti, se & sua Deo offerrent, traderentque, & Ecclesiam ibidem suis impensis exædificatam, divino cultui per manus Norberti manciparent. *Scriptor vitæ ejus cap. 34.* Sunt qui putant monasterium, quod *Cella Dei* nuncupatur, id temporis à Norberto fundatum esse: Bruschius tamen id refert ad annum Christi 1128. ut ibidem dicemus.

Herbipoli Præmonstratum ad suos rediens, in Ecclesia B. Martini Laudunensi in suburbio sita, quendam è sodalium suorum numero, Gualterum seu Walterum nomine, Abbatem primum constituit, & consecrandum curavit. Cujus industria Deo adjuvante, eadem Ecclesia, tam in temporalibus quàm spiritualibus brevi adedò crevit, famam ut pietatis ac propagines sanctæ plantationis in Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, Burgundiam, Vasconiam, Hispaniam, Angliam, Gothiam, Westphaliam, aliasque distitas regiones fecundissimè paulò post extenderit.

Eodem anno in Vivariensi Ecclesia apud Sueffiones in Gallia quendam è suis fratribus Abbatem ordinandum curavit, ubi cum ad ingressum fratrum, quo illos odiosos apud populum redderet malignus spiritus virum quemdam invalisset, à viro Dei dæmon expulsus est. *Continuator Sigeb. & Scriptor vitæ ejus, cap. 24. 35.*

Patet autem ex supradictis, falsò quosdam opinari, Norbertinam familiam initidò non Abbates, sed Præpositos habuisse Superiores. Nam, ut de Laudunensi & Vivariensi Abbatibus, à Norberto institutis, nihil dicam, certò constat ex ipsis monasteriorum monumentis; in Ecclesiis Belgicis ut Antverpiana ad D. Michaelem, in Parcensi apud Lovanienses, & aliis Abbates jam inde ab initio fuisse præfectos ac nuncupatos. Quanquam inficiàs non eo, Abbates istos baculum ut vocant, seu pedum pastorale ab initio quidem gestasse, multis tamen demum post seculis. Annulo, mitra seu infula (quæ olim proprium Pontificiæ seu Episcopalis dignitatis insigne fuit) utendi jus plerisque, idque diversis temporibus à sede Apostolica sibi impetrasse suis infrá locis docebitur. Fateor idem, in quibusdam ac præsertim Germanicis Monasteriis B. Norbertum Præpositos constituisse Superiores: quò fit, ut hodieque Præfecti Monasteriorum Westphaliæ, & Cappenbergæ, Clarholsti, & Scheidæ & aliorum fortassè alibi, non Abbates, sed Præpositi (quod nomen majoris habetur modestiæ seu humilitatis) nuncupentur.

Urspergum illustre ac magnificum Cœnobium ad Mindulam fluvium in Augustana diœcesi, medio ferè itinere Augustam Vindelicorum inter & Ulmam Suevorum, anno 1125. fundatur atque exstruitur à Wernero Comite à Schuabeck & Balzaufen. *Caspar Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ: unde & huius loci Abbatum seriem recenset.*

Viconiense, seu Viconiense monasterium milliari uno à Valentianis, Hannoniæ urbe, loco amœnissimo silvas inter fontiumque scaturigines situm, fundatur an. 1125. Agebat hoc in loco vitam solitariam Guido, vir genere nobilis, patria Britannus, qui, ut erat sacerdos, accolas sacris exhortationibus frequenter informabat. Cùmque per id tempus Walterus Abbas Laudunensis, Duacensis sacras literas concionando interpretaretur, facta ejus loci mentione, multos in illius amorem pertraxit.

Itaque multis eodem divitiis ac virtutibus claris viris concurrentibus, Robertus Atrebatensis Episcopus indulgit, ut statuta ritusque Præmonstratensis Ordinis omnes amplecterentur. Mox ædificiis locus augeri cœptus, dedicataque est Basilica in honorem Deiparæ VIII. Kal. Octob. anno 1139. ab Aluise Episcopo Atrebatensi. Allatæ sunt eodem Colonia Agrippina reliquiæ variæ SS. Virginum & Martyrum D. Ursulæ Sodalium, estque ibidem celebris hodie memoria S. Blasii Martyris. *Hæc ferè Joannes Lesbabæus in Topographia Hannoniæ. Itemque annales Viconienses.*

Est autem hodie Viconiensis Abbatia, eleganti ædificiorum apparatu quàm maximè spectabilis, peristyllis item, porticibus, turribus, fontibus, aliisque ad ornatum usumque pertinentibus adedò eleganter instructa, ut post *Escuriacum*, à Philippo II. Hispaniarum Rege, in honorem D. Laurentii Martyris nostro ævo in Hispaniis exstructum, si architecturæ leges ac præcepta spectes, universa inter orbis Christiani Monasteria, exterorum etiam judicio Viconia ferè palmam obtineat. Jure igitur quis hoc illi elogium sive symbolum attribuat *Viconia vincit omnia.*

His ferè temporibus insignis Abbatia S. Foillani vulgò dicta, quod eò loci S. Foillanus SS. Fursei & Ultani frater (de quibus Venerabilis Beda libr. 3. cap. 19.) Martyrio coronatus sit, fundari cœpta, & à Burchardo Episcopo Cameracensi donata parochiis aliquot, seu pagorum aris.

Quo verò præcisè anno S. Foillani Monasterium sit fundatum, quando item Præmonstratanis traditum, Manuscriptus Hannoniæ Chronographus fatetur reperire sese non potuisse; legisse tamen sese ait in dicti loci Basilica Burchardi Episcopi diploma istiusmodi.

*Burchardus promissione divina humilis Episcopus Cameracensis, donat ad augmentum cultus divini in sacello de Senophe sito, in loco Martyrii S. Foillani, altaria de Strepitii, Serefle, Espinon, Lignan de Crois, Warlers, Derkenne, & Trunere, ut ex iis vivere possint fratres, è Fossensi Ecclesia*



*Ecclesia sumpti.* Et si contingat locum hunc ad Abbatialem dignitatem evehi, volo ut Abbas Canonicè electus, pastorale pedum deferat, ad Capitulum Ecclesie Fossensis; & solvant quotannis eidem Capitulo denarium aureum unum, aut denarios argenteos XII. Datum in Senopbe anno millesimo centesimo vigesimo quinto. Quæ quidem omnia Nicolaus Cameracensis Episcopus anno millesimo centesimo trigesimo septimo confirmavit.

Cæterum adjacet hæc Abbatia muris Rhodii, vulgò *Reulz*, quod exiguum est Hannoniæ oppidum, Comitatus titulo à Carolo V. Imperatore in gratiam Hadriani Croii, ejus tum loci Toparchæ, donatum in Parochia Episcopi Cameracensis, ut B. Bern. Epist. ducentesima quinquagesima secunda loquitur *Lessabæus in Topographia Hannoniæ.*

ANNO 1126.

Roggenburgum celebre apud Suevos Cænobium, secundo milliari ab Ulma Sueviæ metropoli, dimidio à Weiffenhorn, Fuggerorum oppido, cœptum est ædificari hoc pariter anno à *Bertholdo*, *Sifredo*, & *Conrado*, germanis fratribus, Comitibus à *Bibregk*. Itemque à *Demutha*, *Bertholdi* conjuge, *Zolernenfi* Comitissa. *Bruschius* libro citato. Et *Servatius Larveltz* qui tamen ad annum 1130. *fundationem* eam refert.

Est autem Monasterium hoc monti editiori impositum, fontium scaturigine spectabile, olim *Biberegk* (Gallis *Bienure*) ab Animali, quod in cænobii insignibus ponitur, sic dictum.

Eodem item anno fundatum est Monasterium Joannis Baptistæ ad muros urbis Ambianensis in Picardia, fratribus ex monasterio *S. Fidoci* in *Nemore* à *Milone* Abbate emissis. Quod quidem monasterium per belli tumultus anno 1350. est exutum.

Cæpit & hoc anno primordium Cænobium sanctæ *MARIÆ* in nemore, religionis monasticæ observantia, originis antiquitate, & Academia *Mussipontanæ* proximitate venerandum. In eo etiamnum visitur Ecclesia ab ipso Abbate *B. Simeone S. Norberti* Comite, in honorem *Stephani* Protomartyris, circa annum 1126. exstructa. Habet & Seminarium in dicta Academia, in quo non solum religiosos suos, sed & quoscunque Ordinis Professores, annuam pensionem persolventes ita fovet, ut non minorem in disciplina progressum, quam in literis faciant. Adservatur in eodem caput *S. Firmini*, Episcopi *Ambianensis* & Martyris, *Miraculis* clarum. Hæc ferè *Servatius Lairuelius* in *Indice Cænobiorum Ordinis Præmonst.*

De dère & hæc tempora initium celeberrimo Monasterio *Steinveldensi*, in Diœcesi *Colonienfi* sito, cujus originem ac progressum eò libentius hic inferere placet, idque ex literis *R. D. Balthazaris* *Panhausen*, *Oppoterani*, *Abbatis Steinveldensis* ad *R. P. Jacobum Mollanum*, *Dominicanum Antverpiens.* studiorum nostrorum socium datis, quod in iis & alia multa sint scitu dignissima. Sub *I. Henrico* Imperatore in *Colonienfi* districtu *Vir* quidam fuit illustris ac generosus, *Sibodo* ab *Hochsteden* dictus *Comes de Are*, potens & multorum castrorum ditionumque Possessor & Dominus, devotionis pietatisque perquam studiosus. Hic (ut illustrium ac nobilium mos est) cum venationibus in his remotioribus Comitatus sui partibus nimium se aliquando oblectaret, ne hoc corporali exercitio, spiritus fervor deperiret, devotionis zelo accensus, oratorium construere instituit; quo & ipsum interiorem hominem suum orando pieque meditando subinde nonnihil occuparet ac reficeret. Loco igitur ad hoc in famosa, ac multorum scriptis celebrata *Arduennæ* silva delecto, sterili quamvis in gleba & solo saxoso (unde & nomen *Steinveldt* sortitum est) tamen orationi & Religiosorum secessibus apto, domum in nomine Domini ædificare cepit, & divino aspirante numine, feliciter ædificio prospere, brevi in monasterii formam redegit. Quod deinde, cum pro pio ejus voto per *Sifridum* Archiepiscopum *Coloniensem*, in *Dei* ejusque *Genitricis* ac *Divorum Apostolorum Petri ac Pauli* honorem consecratum esset, congregationem *Sanctimonialium Virginum*, quæ sub regulari disciplina *D. Benedicti* ibidem *Deo* militarent, illuc constituit. Et quo novellum hoc suum Collegium decoratum magis & exornatum redderet, adito Archiepiscopo *Trevirensi*, religiosa liberalitate & favore ab eo reliquias & corpora sanctorum Martyrum *Potentini*, *Felicii*, & *Simplicii*, qui ante multos annos martyrio coronati, in *Cardenensi* Ecclesia apud *Mosellam*, in honore & veneratione habebantur, obtinuit, & ad *Steinveldense* suum Monasterium transtulit. Atque exinde accedente ad sacras has reliquias piorum hominum devotione & peregrinatione ipsam monasterium paulatim illustrius redditum est.

Hic autem Sanctus *Potentinus* hujus loci Patronus, filius fuit Ducis *Aquitaniæ*, qui invitis Parentibus Christiana religione suscepta, ad *Diaconatus* ordinem promotus, ob ardorem fidei, bonæ ejus famæ odorem, postulatus est à *Westphalis* in pastorem, ut urbi præesset *Monasteriensis*. Quem in itinere constitutum, consecratus patruus, tandem inventum cum *Castrina* & duobus his nuntiis impiè trucidavit. Horum autem sacræ reliquæ, sicut memoratum est, ad hunc locum translatae, in hunc usque diem debita veneratione asservantur, & pia devotione frequentantur, sanctis illorum precibus nos ju-

giter



giter commendantes. Sanctimonialia autem memoratæ, cum jam laxius vivere cœpissent, illis, cum jam annis 177. eo in loco perstitissent, ob negligentiam amotis, Canonici regulares ex Springeirbacensi Monasterio, Trevirensis diœcesis earum in locum substituti sunt, qui ibidem per annos 23. sub usitato Canonorum Regularium habitu, Domino Deo servierunt. Cum autem sub annum 1120. Ordo Præmonstratensis D. Norberto Autore initium cœpisset, radices ageret, & mirum in modum sese diffunderet, atque in multis terrarum partibus propagaretur; & hi Canonici præfato ordini se subjicientes, candidum habitum suscipere. In quo ordine, professione & habitu illorum Posterius, ad hoc usque tempus vota sua Domino reddentes perseverant.

Primò autem regimen Monasterii per Præpositos administratum est: quorum quinque fuisse inveniuntur. Deinde anno 1142. prædictum Monasterium per *Theodoricum* Comitem de Are ampliatum, & in melius reformatum est, bonisque ac redditibus amplioribus dotatum, adjuvante ad hoc Archiepiscopo Coloniensi Frederico: qui & ipsum multis privilegiis donari ac muniri insuper curavit. Succedente deinde tempore circa annum 1194. Præpositi in Abbates evecti sub regimine 33. Abbatum ad hunc usque diem alternante fortuna perstitit. Cum enim incolæ hujus loci, timore Dei pariter & honore postposito, non probarent Deum habere in notitia, & juxta desideria cordis sui viverent, in utriusque status regimine ad tam deplorandam rerum omnium confusionem & jacturam pervenerunt, nihil ut in bonis temporalibus residuum foret, quod non vel oppignoratum, vel diversis creditoribus obligatum teneretur, ita ut sub annum 1366. tandem potissimam bonorum partem alienare sint coacti. Eam autem plagam subsequentes Abbates, quos Dominus Deus dedit juxta cor suum (quorum primus fuit Rever. D. *Joannes ab Altena*, Vir æterna memoria dignus) inducta salutari reformatione, egregie curare studuerunt. Qui dum ea, quæ sunt officii sui, Ordinis, ac statutorum, diligenter fieri satagunt, divina adjuvante gratia, bona cuncta venerunt cum eis. Ita ut non solum deperdita, & oppignorata bona ab interitu vindicaverint, ac redemerint, sed & alia quoque acquisierint. Atque ab eo tempore, utriusque regiminis status, ad hæc usque funesta & exulceratissima nostra tempora mediocris fuit & tolerabilis.

Monasterium itaque Steinveldense in Abbatiam jam evectum, manum suam mittens ad fortia, atque ut fertilis arbor, racemos & palmites suos emittens, diversa ex se diversis in locis genuit Monasteria & filiales Ecclesias in primis in hoc districtu *Abbatiam Hamburnensem*, in Ducatu Clivensi Coloniensis diœcesis: quæ sub se habet duas filiales Ecclesias, Monasterium Virginum in *Vossnich*, propè Tulpetum, & *Ellen* in Ducatu juliacensi. *Seinensom*, quoque Abbatiam propè Confluentiam; quæ sub se habet Monasterium Virginum in tractu Mossellæ, dictum *Angelica porta*. Ex Steinveldensi quoque Ecclesia duo pordierunt Prioratus virorum, Prioratus in *Richstein*, & *Niderche*: qui tamen ex prima fundatione fuerunt Monasteria Virginum. Insuper duo Monasteria Virginum: *Mare* propè Novesium, & *Dunwohlt* in Ducatu Montensi. Ad muros quoque Coloniensis urbis habuit Monasterium dictum *Silva Mariæ* sive Piscina, quod penitus dirutum est. Deinde in remotiores se extendens Partes, in Frisia occidentali ex se genuit Abbatiam *Horti Mariæ*, Trajectensis diœcesis. Abbatiam quoque in *Dockum*, in monte S. Mariæ ejusdem diœcesis. Item Abbatiam Monialium S. Nicolai in *Merna*, dictam *Camera S. Mariæ*, vulgariter nuncupatam *Olde Cloister* in *Merne*, Monasteriensis diœcesis. Hæc autem Abbatia sub se habent alia diversa Monasteria & filiales Ecclesias Hortus B. Mariæ sub se habet Præposituram nuncupatam, *Sepulchrum B. Mariæ Virginis*, vulgò *Burlben Cloister*. Item Præposituram dictam, gratia B. Mariæ, vulgò *Schilwolde*. Item Prioratum Montis B. Mariæ, vulgariter *Hilgerle*. Item Prioratum Bethlehem, Abbatia in *Dockum* sub se habet Præposituram, quæ dicitur *Porta S. Mariæ*, vulgariter *Kylisnar*. Item Præposituram in Orientali Frisia, vulgariter *Berte*. Item Præposituram Montis Syon, vulgariter, *Vone Cloister*. Item Prioratum, qui Silva S. Mariæ, vel templum Domini, vulgariter *Werte* nuncupatur. *Merne* Abbatia Monialium sub se habet, Præposituram S. Mariæ, vulgariter *Alandt*. Item Præposituram S. Jacobi, vulgariter *Langen*. Atque hæc omnia Monasteria prædicta Visitatorem agnoscunt Abbatem Steinveldensem. Post autem etiam longius progrediens Steinveldia, sacros suæ plantationis palmites in Bohemiam ac Poloniam usque produxit. Testantur enim Bohemorum Annales, ex Steinfeldensi Abbatia eò venisse septem fratres, qui plantatis ibidem & ædificatis 2. Monasteriis, *Montis* videl. *Syon*, vulgariter *Straboven* (non procul ab aula Imperatoria in urbe Pragensi, & *Teplensi* Monasterio) tam solida regularis-disciplinæ & veræ pietatis fundamenta jecerit illis ut temporibus & subsequentibus, non interrupta successionis serie, septem de familia Præmonstratensi Ecclesia Pragensis viderit Archiepiscopos. Ex his autem duabus Abbatibus, perque hos fratres & illorum successores & alia Monaste-



ria illo in tractu prognata fuere. Habet enim sub se Abbatia Montis Syon hæc Monasteria. *Brescam, Werinciam, Veconiam, Lucan, Gradis & Besock*: Teplensis autem habet sub se Monasteria *Silcense, Melonse, Lichonische* & alia quædam in vicina Moravia. Atque in his omnibus sana monasticæ disciplinæ observantia, pietatis & Religionis fervor, plurimarum spatium ætatum laudabiliter, & sine labe viguit, & ad ea usque tempora perduravit, quò feralis ille Hussiticus aper vineam Domini, dexteritate altissimi plantatam, depascere & Ecclesiæ Catholicæ, ductore Xisca bellum indicere cœpit. In qua tam ampla & misera Ecclesiæ plaga, & Monasteriorum omnium quodammodo excisione, & hæc quoque eandem calamitatis & miseriæ sortem subire. Quo factum est, ut præclara quondam Monasteria (ut ex rudibus etiamnum liquet) vel cultoribus sint destituta, vel disciplinæ observantia ita elanguerint & tam frigidis obducta sint cineribus, eorum ut vix ullum appareat vestigium.

Quare divino & religioso exitus zelo Reverend. P. ac Dominus *Joannes Lobelius*, Abbas Monasterii Syon, talenti concrediti vocationis & officii sui memor, apud nos piis institit precibus, ut quibus olim pueritiæ lac præbuerimus, nunc vel solidiori cibo illos reficere ac refovere non dedignaremur. Ejus itaque piis votis libenter annuentes, annis superioribus per tot terrarum tractus Sacerdotes tres, atque ad facilius introducendam disciplinæ formam unâ Juniores, sive Subdiaconos duos eò ablegavimus. Ad quorum adventum Rudolphus II. Imperator huic Monasterio Teplensis Monasterii bona, quod ab Hussitica vastatione necdum emerferat, adjecit & incorporavit. Hi autem nostri fratres bonum semen in terram bonam seminantes, biennii spatium omnem disciplinæ & cæremoniarum usum & rationem, insuper quæ sunt ordinis & statutorum Bohemis tradentes, tantum præstiterunt fructum, ut non solum hoc Monasterium optima disciplina, & boni nominis fama jam floreat, sed & eadem longè lateque per eundem R. Dominum Loëlium (utpotè qui earum Regionum per Reverendissimum Generalem nostrum D. Joannem à Pruetis Visitator est designatus) feliciter & bonorum omnium applausu propagetur. Atque eum in usum in Monasterio suo propriis sumptibus juvenum seminarium instituit, alitque. Ex quo quos moribus, doctrina, ætate satis maturos prospexerit, eligens, sacro habitu induit, atque ad professionem fuscipit. Unde & illi quoque ad illud doctrinæ fastigium perveniunt, ut non solum publicè cum laude in Academia disputent, sed & cum fructu & hæreticorum conversione verbum Dei quaquaverfum disseminent. Quibus idem Rudolph. Imp. & regni Bohemiæ Proceres, permoti, augustum quondam illius loci templum Hussitica impietate dirutum, propriis expensis & sumptibus magnificè instaurant. Sed & Rev. Dominus Abbas sua virtute & meritis, ad mitram Episcopalem est vocatus, atque in Episcopum & Suffraganeum Pragensis Ecclesiæ electus & confirmatus.

Cæterum Steinfeldia in Polonia ex se genuit Abbatiam S. Vincentii, quæ sub se habet Monasterium, *Sterlina* dictum. In Hibernia verò genuit Abbatiam S. Trinitatis, quæ postea est facta Ecclesia Episcopalis.

Hæc fusius fortasse, quàm Epistolaris patitur brevitatis perscripsimus, ut sciatis, quis illis in partibus modernus Monasteriorum sit status, & ego in hoc tristi exilio, qui periculorum & captivitatis metu huc perfugi, haberem, quo tempus fallerem. Beati autem Josephi vel Hermannii nostri busta, ac sacræ reliquiæ, in atrio templi majoris in elevata & extuberata tumba pia & religiosa veneratione adhuc per has turbas bellicas integrè perseverant, quamvis aliquoties impia manu tractatum sit monumentum. Datum Monasterii Eifflæ (quo periculorum & captivitatis metu profugimus) Conceptionis B. Mariæ festo, Anno 1603. Hæc ferè *Balthasar Panhausen* Abbas Steinveldiensis, nunc ad perennem translatus vitam. Cui in officii regimine successit R. D. Christophorus Pylekmannus, vir morum gravitate, ac sincera in Deum pietate tali loco ac officio comprimis dignus: qui in reformandis tum Bohemicis tum Westphalicis sui Ordinis Monasteriis, insignem planè & ipse operam navavit.

Quoniam verò *Montis Syon*, sive *Straboviensis* Monasterii, quod hodieque in regia Bohemorum urbe Pragensi, haud longè à palatio Imperatoris floret, jam facta est mentio, haud abs re fuerit, ejus originem ex Joannis Dubranii, Episcopi Olomucensis historia Bohemica hic apposuisse. Intermissa, inquit, rerum aliarum cura, Uladislavus Bohemorum Rex, ad instauranda sacra ædificia fœdè nuper à Conrado Marchione, Auftriæ regni æmulo, Pragæ deusta, animum intendit, largè suppeditans operæ pretium, ut laetiora, quàm prius erant, illa resurgerent, novumque mox Cænobium in deflexu montis Petri ex mulctato ære, quo nonnulli conjuratorum mulctati sunt, ædificandum curavit, vocabulo ei indito *Montis Syon*, propter quandam similitudinem situs cum monte illo



illo, qui in Oriente *Sion* appellatur; ad quem propè accedere istum Henricus Præful Olomucensis, qui viderat, dicebat: Hodie *Strahoviam* vocant. Cænobitæ à principio statim ex sodalitiis Præmonstratensium deducti, cujus Auctor Præmonstratus quidam religione celebris, vitæque & habitu candidus fuisse fertur ejusque exemplo multi tunc candidam vestem cum moribus candidis induebant: in qua & Henricus, quanquam Præful conspicui, cultumque hujusce religionis imitari studuit: Imò aliquamdiu Strahoviense Cænobium, velut Seminarium Episcoporum Olomucensium erat. Unde in Moravia Episcopi plantabantur. Eadem porro pietate Gertrudis erga muliebrem sexum, qua maritus suus in viros admonita fuit, ut & ipsa monumentum Virginibus relinqueret, quod candidatas ex amictu commonefaceret, ut puram castamque vitam cum sanctis precibus Deo perpetuò exhiberent. Locus *Doxanum* appellatum, cænobiumque ibi benè dotatum, ne per egestatem ad malas artes indotatæ puellæ adigerentur. *Hactenus Dubranus*. Qui tamen per errorem *Præmonstratum* nescio quem Ordinis Præmonstratensis auctorem facit. Quantum verò ex contextu historiæ à Dubranio conscriptæ colligere possum, videtur Strahovense hoc *Norbertinorum* Monasterium anno Christi circiter 1135. aut 1140. institutum. Strahoviam porro decem ex ordine Episcopos Olomucensibus (est autem Olomucium urbs Moraviæ admodum celebris) olim dedisse, disertè scribit Augustinus Olomucensis & Brunensis Ecclesiarum Præpositus, in Catalogo Episcoporum Olomucensium, qui historiæ Bohemici Joannis Dubranii in calce subjungitur. Ex quo nos ista, quæ sequuntur, desumpsimus.

Petrus Episcopus Olomucensis secundus, quintus in Moravorum Episcoporum ordine, Canonicus Regularis Strahoviensis Cænobii, in Pontificatu Andreae successit. Hujus electionem Bretislaus, Dux Bohemiæ, Uratislai Regis filius, usque aded approbavit, ut deinceps statuerit neminem nisi ejusdem Cænobii Canonicum, in Episcopum Olomucensem eligi debere. Quod etiam decretum literis suis ac diplomatibus, perpetuò duraturum firmavit: idque in Episcopi & Pragensis Capituli contemptum, qui sibi electionem Olomucensis Ecclesiæ violenter usurpare nitebantur: quæ quidem electio Canoniorum Regularium de *Strahov* continua serie 100. & 5. annos duravit. Moritur Petrus anno Christi 1104. Nonis Juliis sepultus in *Strahov*.

Joannes Episcopus dictus Ventrosus, in ordine Episcoporum sextus, Canonicus in *Strahov*, concordi voto Ecclesiæ Olomucensi præficitur, non tam religione vitæque sanctimonia clarus, quam de Ecclesia benè meritus. Hic enim Cremfirium cum foro & omni jure ab Othone, Marchione Moraviæ trecentis Marcis argenti emit, Ecclesiæque bonis adjecit, insuper Lubacum in Bohemia à Subuslao Duce Episcopatu incorporandam obtinuit. Moritur anno Christi anno 26. supra 1000. ac 100. Non. Kalend. Martii in *Strahov* sepultus.

Henricus cognomine Zolick, illustris Uladislai Ducis Bohemiæ frater, ac Strahoviensis Cænobii professor, Joanni succedit: miræ sanctitatis ac innocentie Pontifex, miserorumque singulare profugium. Hujus Pontificatu, anno scilicet 30. supra millesimum ac centesimum, Wenceslaus Othonis Marchionis Moraviæ filius, cultum divinum amplificare studens, & Episcopium (quod parvis continebatur angustiis) gloriosis structuris evehere, templum sub honore & titulo D. Martyris & penatis *Wenceslai* in arce sua Olomucensi erexit, sedemque illuc Episcopalem ex Ecclesia S. Petri promissione summi Pontificis Innocentii II. transferri curavit, 12. ibi Canonicis institutis. Hic etiam corpus S. *Christini*, pro Ecclesia sua recens constructa obtinuit, ibidemque religiosè recondidit. Addidit eidem & Ecclesiam D. Mauritii intra civitatem Olomucensem, quæ antehac ad Monasterium Gradicense pertinebat. Moritur tandem gloriosus hic Pontifex an. Christi 1157. Kal. Julii in Monasterio Strahovenfi sepultus.

Joannes ex numero Episcoporum octavus, Henrico viam universæ carnis ingresso, Pontificatum Olomucensem suscepit Canon. Regularis de Lythomissi. Hic dum Episcopatu septem annis præsedisset, moritur; & in Ecclesia sua Olomucensi ante introitum chori, sub albo marmoreo lapide sepelitur. Ea tempora insignes cum Philosophos tum medicos tulere, Avicennam Hispalensem, & Averroem Cordubensem, cognomento Commentatorem. Cæpit & hac tempestate Lugduni pestifera Valdensium infania, quæ alibi jam pridem extincta, virulenta tæbe Bohemos tandem ac Moravos corripuit, longèque ac latè sævit.

Joannes nonus, sextus verò Olomucensis Episcopus, cognomento *Calvus*, Cathedræ Olomucensis concordi omnium voto præficitur, Strahoviensis, & ipse Cænobii professor: Vir magnæ prudentiæ, eximiæ largitatis, ac singularis in omnes humanitatis &



benevolentiae. Qui cum sedi suae miro omnium favore bene ac laudabiliter quindecim annis praefuisset, anno Christi M. C. LXXII. moritur & in Monasterio Gradicensi propae Olomucium honorificè sepelitur.

*Dietlebus* in ordine Episcoporum decimus, ex Strahoviensi Monasterio Pontificatum iniiit, beneque hunc & religiosè administravit. Moritur anno Christi octogesimo primo supra millesimum & centesimum, & in Monasterio *Strabov* tumulatur: Post cuius decessum sedes anno uno Vacavit.

*Peregrinus* undecimus, Episcopus Olomucensis octavus *Dietlebo* successit, ordinis & ipse Canonicorum ex *Strabov*, vir integer & pius. Hic nondum expleto Pontificatus sui quadriennio moritur, & fratribus suis Episcopis in *Strabov* attumulatur, quo mortuo sedes biennio integro viduata & praesule & pastore.

*Cayn* in Catalogo Episcoporum duodecimus, ex Strahovia procurante Conrado Marchione Moraviae, Pontificias infulas, opponentibus se iterum Episcopo & Canonicis Pragensibus suscepit. Pontifex, qualem Paulus esse voluit, hospitalis, ac modestus, profusaeque in omnes largitatis, in clericumque suum potissimum. Hic quotiescunque Olomucium venit, non Canonicos solum, sed totum Ecclesiae suae clerum ex mensa & quadra sua pavit, facilem & benignum se omnibus exhibuit, religioni mirificè vacavit: de quo id vulgò ferebatur, quod vox ejus sonora ut tuba Dei, & quasi vox Angelorum. Moritur pius & Religiosus Pontifex anno Christi M. C. XCIII. pridie Idus Januarias.

*Engelbertus*, natione Brabantinus, Canonicus & ipse Regularis de *Strabov*, in ordine Episcoporum tertiusdecimus, Olomucensem sedem, ubi pridem Archidiaconus & Canonicus fuerat, obtinuit, magni consilii vir, & ob hoc à Principibus & optimatibus in maximo pretio & existimatione habitus. Canonicos suos miro amore & benevolentia complexus, & ab eis vicissim paterna veneratione cultus, nulli noxius, quin potius erga subditos suos mirificè benignus, sciens boni pastoris esse, tondere oves, non deglubere. Moritur anno Christi centesimo nonagesimo nono supra millesimum. Hic totum Ecclesiae testum plumbo vestivit.

Rotum five Rodum, vulgò *Monachorium Rodum*, germanicè *Muncorot* (ad alterius cuiusdam Dominarum Rodi in Oistrofancis siti discrimen sic dictum) in Suevia secundo lapide à Memninga, imperiali urbe ad Haslachii & Rotae confluentem, fundatur anno 1126. ab illustri Matrona *Hemma*, Henrici Baronis à *Wildenvergh* conjuge.

Hujus Monasterii Abbas fuit venerab. *Odino*, antea dapifer Waldenburgensis, vir pia & sanctae admodum vitae, qui suo tempore aluit Roti 200. monachos & moniales plurimas pro more primitivo instituti Præmonstrat. Obiit autem anno 1182. Misit is ex suo Rotensi Monasterio, deductis velut coloniis. Canonicos Præmonstratenses ad Ecclesias quinque: videlicet *Wiltaniensem* apud Helvetios: ad *Lautrensem* vulgò *Keyserlauttem*. Ad *Augiensem* apud Ravensburgum anno 1145. ad *Steingadensem* in Rhetis anno 1147. ad *Martalensem* ad Danubium fluvium anno 1170. rogante Hugone comite Palatino Tubingensi: cujus in contubernio olim cum adhuc in seculo versaretur, vixerat. Ita Bruschius libro citato. Munsterus ait, Rodense Monasterium à Ducibus Teckenibus fundatum.

#### ANNO 1127.

Ut vult continuator Sigebert aut verius 1128. ut habet Trith. in Chron. Hirsaug. Norbertus designatur Archiepiscopus Magdeburgensis XV, factumque id profusus divinitus. Nam Rudgero Archiepiscopo ejus urbis defuncto, cum Arnoldus quidam Episcopatum invasisset, isque à civibus interfectus esset, Clerus missis Spiram ad *Lotharium Imp. Legatis*, Episcopum sibi dari postulavit. Erat tum fortè eadem in urbe Norbertus, scientia vitaeque innocentia toto orbe notissimus Eum consilio Gerardi, Legati Apostolici, qui post factus Pontifex Romanus, dictus est Lucius primus & Alberonis Metensis Primicerii, qui post Virdunensis in Lotharingia Episcopus fuit: aliorumque Principum, nihil tale cogitantem, adeoque reluctanter, Magdeburgenses Legati Archiepiscopum sibi postulant, & probante Imperatore secum abducunt.

#### ANNO 1128.

Ecclesia *Grimbergana*, quæ Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini hætenus fuerat, anno 1128. (teste Balduino Ninivensi in suo Chronico m. S.) Religiosis instituti Præmonstratensis traditur. Dederat autem locum hunc Regularibus Canonicis incolendum Walterus Berthoutius, Grimberganus, anno circiter 1110. *Odone* Cameracensi Episcopo approbante. Sed Regularibus injuria temporum Ecclesiam desolatam relinquere,

Ord. P. Gertrud & Arnulphus  
Ord. P. em. ipam aitem ob  
Ord. P. ab Abbatibus unius  
Ord. P. Regularit  
Ord. P. anno 1132.  
Ord. P. avia piet  
Ord. P. foretore b  
Ord. P. Grimbergani pe  
Ord. P. hic est text.

Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.

Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.

Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.

Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.  
Ord. P. Ord. P. Ord. P. Ord. P.



quentibus, Gerardus & Arnulphus Walteri filii, Almerico quodam Legato ad Norbertum misso, eam ipsam eidem obtulerunt: qui piis eorum votis acquiescens, è Sodalibus suis aliquot sub Abbatis unius tutela eodem destinavit. Sicque prædia, quæ Canonicorum antea fuerant Regularium, ipsis assignata sunt, Liethardo Episcopo Cameracensi decreto suo, anno 1132. dato, id confirmante. Qui deinde subsecuti sunt Toparchæ Grimberganis avitæ pietatis ac munificentia æmuli, cœnobium istud certatim muneribus auxerunt; floretque hodie, dimidio à Viluordia, Brabantia oppido militari, arci Baronis Grimbergani penè adsitum. Decreti autem seu diplomatæ, à Liethardo dati, hic est tenor.

*In nomine sanctæ & individua Trinitatis, Liethardus Dei gratia Cameracensium Episcopus, tam futuris quam presentibus in perpetuum. Divina astante scriptura, quæ ait: Ante mortem tuam benefac: quoniam non est apud inferos invenire cibum; ad bene agendum invitamur: providendum nobis est, ne de nostra traditate post mortem abjudicemur. Ecclesiam igitur Grimbergensem, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Petri Apostolorum Principis sitam, exaltare & nobilitate decrevimus: & qualiter ad nos à Prædecessoribus nostris emancipata pervenerit, subnotare censuimus. Cum enim præfatam Ecclesiam Gualterus quidam nobilis, quia in allodio suo sita erat, teneret Dominus Odo, prædecessor noster, petitione ipsius Gualteri, & redditione eandem Ecclesiam ab omni Laica manu & exactione aliqua & debitis obsoniis ad usum Canonicorum, secundum regulam B. Augustini viventium, primò emancipavit. Succedentibus verò temporibus, cum illi nihil profecissent, & penitus Ecclesiam in nihilum redactam reliquissent, iterum petitione ejusdem prædicti Gualteri Monachorum Ordinem sub eadem libertate ibidem imposuit. Sed & illi persecutiones malefactorum & paupertatem sustinere non valentes, iterum desolatam reliquerunt. Novissimè verò defuncto Gualtero, hæredes ejus Gerardus videlicet & Arnulphus, quia patris & matris & parentum eorum ibidem ossa requiescebant, desolationem Ecclesie non ferentes, petierunt à D. Norberto, viro spectabilis religionis, per Legatum suum hominem quendam Alvaricum nomine, ut suæ religionis fratres in præfacta Ecclesia poneret.*

*Ipse verò tandem petitionibus eorum acquievit, & fratres ibidem impositi, sub tutela Abbatis & fratrum Præmonstratæ Ecclesie per aliquot tempus commorantes, & de die in diem, adjuncte gratia in melius pro sua paupertate & proposito proficientes, à nobis & Abbatem & præfatam libertatem innovari petierunt. Nos verò justis eorum petitionibus annuimus: sic videlicet, ut libera esset à servitio, à caterarum consuetudine Ecclesiarum, ab omni prorsus exactione Episcopi, Archidiaconi, & Decani. His autem Ecclesie concessis Ecclesie Cameracensis, hoc solum de illa habendum retinui, ordinatoque fratrum, & filialem loci subjectionem, & si quem secundum ordinem & tenorem Præmonstratæ Ecclesie, à qua descendit religio, Abbatem Canonicè elegerint, vel ejusdem Præpositum, ego & successores mei sacrent, vel ubi petitione fratrum, & necessitate idonea cogente, eum sacrari permiserint. Si quid etiam in consiliis, in synodo, de jure & negotiis & utilitatibus Ecclesiasticis tractare contigerit Episcopum, de quiete sua Abbas evocetur, ad ejus dirigendum consilium. Ipsemet verò Abbas parochiam cuilibet sacerdoti boni testimonii committat, quem Episcopo per se vel per unum de suis fratribus ad suscipiendam populi curam presentet. Qui si peccaverit, vel fratribus in aliquo molestus fuerit, sicut ab Episcopo vel ministris ejus, sic ab Abbate removeatur vel corripatur. Concedo etiam, ut si inbannitur terra, remotis excommunicatis, hæc cantet Ecclesia clausis Januis. Interdico autem, ne quemquam à prædicto Ecclesie claustrò, sine permissione Abbatis & assensu totius congregationis liceat discedere, discedentem verò nullus audeat recipere. Bona etiam & possessiones, quas justè & legitime prædicta Ecclesia possidet ad usus Canonicorum Regularium, ibidem Deo servientium, præsentis scripti paginæ confirmamus. Altare videlicet de Wamblinis cum appendiciis suis Barchebem, Radelegim & Ramesdum. Altare de Meyse cum appendiciis suis Opebem & Rode. Altare de Strombeke, & decem & octo mansos terra. E quibus prædictus Gualterus sex dedit, Gerardus filius suus unum, Alvericus tertius filius suus. Reinerus duos, & quod superest, antiquitus possidet Ecclesia. Quæcumque præterea justè adipisci poterit, firma & illibata illi conserventur. Ad arcendas igitur quorumlibet importunitates, data conservatoribus pace, in prævaricatores, quoad respuerint excommunicationis sententiam proferimus, atque Canonica subsignatione, nostraque subimaginatione, hujus nostri decreti paginam confirmamus. S. mei ipsius Liethardi Episcopi, S. Joannis, Theoderici, Alardi, Theoderici, Gerardi Archidiaconorum, S. Elebaldi Præpositi, Gilardi Decani, Rothberti Cantoris, Guidonis, Hugonis, Werimbaldi Lantberti, Adam, Bartholomæi Canonicorum. Actum est hoc Cameraci, Anno incarnationis Domini 1132. Indictione 10.*

Ego Werimbaldus, Cancellarius  
scripsi & recognovi.



Circa hunc annum, aut potius sequenti, conditum est S. Nicolai Monasterium ad muros Furnensis in Flandria oppidi: nam falsò ad annum 1119. ejus foundationem referunt Meyerus & Marchantius: cum sit filia, ut loquuntur, Abbatiae Grimberganae. Est hodie Cœnobium hoc ob belli furorem ac tumultum intra mœnia Furnensia translatum.

Cella Dei superior (ad alterius inferioris discrimen sic dicta, de qua infrà an. 1130. agemus) quæ præclara hodieque florens est Abbatia apud Herbipolim in Francia Orientali, ad Mœnum fluvium, fundatur anno 1128. Maji 14. ab ipso Norberto. Is namque jam Archiepiscopus creatus, & Lotharium Imp. Herbipolim secutus, ut ad schisma inter Innocentium II. & Petrum Leonis tollendum ibidem cum aliis adlaboraret, cum in festo Paschæ coram Cæsare, aliisque Imperii Proceribus atque Ordinibus SS. Missæ officium celebrasset, & concionem de rebus sacris ad eosdem habuisset, ita in sui admirationem & amorem omnium animos attraxit, ut concione peracta certatim populus munera ipsi amplissima offerret. Quibus cum ille haudquaquam studeret, neque tamen prorsus abjicienda putaret, tribus Religiosis Viris, germanis fratribus, in S. Kiliani æde sacra Deo servantibus, & Præmonstratensis instituti desiderio flagrantibus, Joanni videlicet sacerdoti Henrico & Ludolpho Laicis, omne illud sibi oblatum aurum argentumque tradidit Cœnobii sui instituti apud Herbipolim exadificando. Consensit mox Embri-co ejus urbis Episcopus, locumque Monasterio exstruendo donavit. Quo ordinato, primus ejus loci Præpositus à Norberto constitutus est *Joannes*, è tribus dictis fratribus natu grandior. *Bruschius libro citato*, ubi & loci hujus Abbatum seriem contexit, & *Annales Franconici*.

Anno eodem, Mense Novembri moritur *Godebaldus*, Episcopus Ultrajectensis XXIII. Is Canonicis Augustinianis, quos Regulares vocant, justam ob causam amotis, atque ex Antverpiano, D. Michaelis Monasterio, Præmonstratensibus accitis, Middelburgi novum quasi Monasterium instituit. Idipsum post *Gulielmus II.* Hollandiæ Zelandiæque Comes, & Rom. Rex instauravit, multisque ædificiis auxit, qui anno 1255. à Frisiis cæsus, ibidem honorificè conditus est cum *Elizabetha* conjugè sua, anno 1266. defuncta. Est autem Middelburgum Zelandiæ Metropolis sita in Walachria, Zelandicarum Insularum maxima, cujus urbis cura pastoralis penes ipsos Præmonstratenses esse consuevit. Vixit multis annis in Middelburgensi Monasterio *Joannes Cossardus*, Molbodius, vulgò *Mabusius*, pictor celeberrimus: cujus à manu tabula ibidem fuit notissima, quæ fortuito post incendio perijt.

Cæterum multiplicatis in Belgica Pauli IV. & Pii IV. Pont. Max. auctoritate Episcopalibus sedibus, Abbatia Middelburgensis Episcopatus ejus urbis est annexa R. V. *Nicolao à Castro* primo Episcopo constituto.

*Godefridus Barbatus*, Lotharingiæ Dux, idemque Marchio & Comes Lovaniensis, locum feris Silvestribus, ad muros urbis Lovaniensis animi causa alendis destinatum (quod vivarium Varro, aliique Latine appellant, Belgici *Parcum* nominant,) in meliores usus convertens, eundem Waltero Abbati S. Martini Laudunensis (de quo supra diximus anno 1122.) tradidit anno 1129. filiis suis Godefrido & Henrico consentientibus, & Alexandro Episcopo Leodiensi approbante. Qui quidem Walterus fratres aliquot ex Cœnobio suo S. Martini Laudunensis, eodem adduxit, & disciplinam monasticam, cæteraque eò pertinentia constituit. Quibus ritè peractis ad pristinum suum Monasterium anno 1132. rediit: Simone Canonico Sancti Martini Laudunensis Abbate apud Parcenses constituto. Est autem hodieque Parcensis Abbatia disciplinæ Monasticæ observantia admodum florens, & eruditissimis viris, ac præsertim Theologis referta: cui quidem studio ejus loci alumni sese totos dedunt, vicinæ Lovaniensis Academiæ beneficio utentes. Ex qua quidem Academia præstantissimi semper Theologi, ad sacras in Parco literas interpretandas, ab Abbatibus honestè sunt evocati. Fuere in his *Joannes Varenius* Mechliniensis, cujus Græca exstat Grammatica: *Joannes Leonardus Hasselius*, qui Tridenti in Concilio Oecumenico obiit, *Martinus Rithovius*, post Iprensium Episcopus: *Joannes Hasselius* Lovaniensis, *Camerus Petri Brouwerhavius*, post Leonardensis Episcopus; Et *Joannes Lensæus* Belliolanus, scriptis editis illustres. Estque Abbas Parcensis Ducis Brabantiae primus & perpetuus Sacellanus; sive, ut Aulici loquuntur *Archiepiscopus*; Quod Privilegium sive Jus, à multis retrò annis jam tum observatum, *Joannes Brabantiae & Limburgi Dux* sacrique Imperii Marchio confirmavit Diplomate anno 1416. Apr. 21. Bruxellis dato.

Primus Abbas initiatus apud Parcenses fuit *Theodoricus Tuddelius*, *Becanus*: qui ænnis 32. in præfectura exactis, obiit anno 1490.



Libet hic addere, quod de *Radbodo*; sive *Rabodone* Religioso *Parcensi* in Catalogo defunctorum fratrum ejus loci hisce verbis reperitur. *Frater Rabodo Canonicus hujus Ecclesie, qui solebat jejunare in sextis feriis cum Pane & Aqua. Et Aqua mutata fuit aliquoties in Vinum miraculosè, sicut relatum est à fide dignis.* Hæc ibi. Cæterum quo anno Christi obierit, non exprimitur.

Apud *Bincæium* *Hannoniæ* oppidum, hodieque eximiè floret *Abbatia*, cui *Bonæ spei* nomen. Hujus Austorem ferunt *Guilielmum Reginaldi*, militis crucigeri filium, qui neglecto seculari fastu nitoris, anno circiter 1129. Præmonstratensem subiit professionem. Habitarunt autem primùm Religiosi in loco inde nonnihil diffito, sed victi primæ sedis incommoditate, eò se contulerunt, ubi nunc *Bonæ spei* nomen effulget. *Liethardus* *Cameracensis* *Episcopus* anno circiter 1131. *Odonem* *Abbatem* benedictione, & cæmeterium lustrali sanctificatione donavit. Post *Euguelramus*, *Episcopus* *Cameracensis* anno 1274. novum *Monasterium* ac templum, *Adamo* *Abbate* existente, consecravit. Hæc ferè *Joannes Lessabæus* in *Topographia Harmoniæ*.

## ANNO 1129.

*Odoni* porrò *Abbati* successit *Philippus Haruengius* (ab *Eleemosyna* nuncupatus) *Vir* longè eruditissimus, qui *Vitas SS. Anandi, Landelini*, aliorumque concinnavit, & *Epistolas* varias ad *Pontificem*, *Imper.* & *S. Bernardum Clavallensem* *Abbatem*, cui per familiaris existit, conscripsit. Cumque anno 1128. in *Adventu Domini* præfecturæ munus reliquisset, in quadragesima anni sequentis plenus dierum obiit.

Anno circiter 1129. *Insulam B. Mariæ* vulgò *Marienweerd* in *Geldriæ* confinibus condidit *Hermannus Cuiquensis*, vulgò de *Cuyck*: quæ ditio hodieque inter vetustas 18. *Brabantiæ* *Baronias*, ut loquuntur, prima recensetur. Quam verò ob causam *Monasterium* istud fundatum fuerit, memorat *Joannes Becanus*, in *Manuscripto Chronico Ultrajectensi* his verbis:

Anno 1128. defuncto *Godebaldo Pontifice*, *Domini Andreas* natus de *Cuik XXV. est electus Episcopus Ultrajectensis*, vir discretus, honestus, pius & pacificus. His diebus *Theodoricus Hollandiæ Comes* *Florentium* proavum suum in *Harmac* occisum ulcisci desiderans, *Hermanno de Cuik* filio interfectoris ejusdem *Florentii Comitis* ubique terrarum intendit insidias, ita quod nulla pacificatione mediante, *treugarum* obtinere posset *inducias*. *Andreas* autem *Episcopus* per continuam interpellationem demum interdixit antiquam altercationis invidiam, & per hunc modum inter utramque partem firmam elaboravit amicitiam, ut *Hermannus* pro anima *Florentii Comitis* *Monasterium* construeret, & per competentes prædiorum possessiones dotare promitteret. Igitur anno *Domini* millesimo centesimo vigesimo secundo fundatum est *Monasterium* in *Insula Beatæ Mariæ Virginis*, & allati sunt eò *monachi de Lauduno*, *Præmonstratensis Ordinis*: qui sub *monastica disciplina* *Deo* devotè servirent, & pro anima *Florentii* sanctis precibus *Deum* exorarent. Hactenus *Becanus*, ex quo hæc ipsa transcripsit *Joannes Gerbrandus Leidenensis* in *Manuscripto Hollandiæ suæ Chronico*, mox ista subnectens: *Hujus Monasterii Abbas* primus dictus *Robertus*, homo fuit miræ sanctitatis, & erat cognatus *Regis Angliæ*. Ob cujus reverentiam idem *Rex* transmisit *Roberto Abbati* specialia dona, videlicet *calicem aureum*, *ornamentum Missæ* valde pretiosum, *pavimentum Ecclesiæ* valde nobile, & quendam *lapidem pretiosum Saphyrum*. Ita *Leidanus*.

*Beatus* porrò *Norbertus* jam *Archiepiscopus*, *Hugonem* *Cameracensem* *primum* suæ paupertatis ac religiosæ vitæ socium, in *Præmonstratensi Ecclesia* suum designat successorem: & ad *Antverpiensem* & *Floressiensem Ecclesias*, alios duos *Patres* regendis fratribus designat. *Continuator Sigeb.* scribit id factum anno 1129. *Scriptor vitæ S. Norberti cap. 48.* subindicat, à novissimo *B. Patris* ex *Præmonstrato* discessu, *biennium* amplius effluxisse, antequam hæc electio facta sit. Atque *Antverpiam* quidem missus *Waltmannus*; qui primus ad *D. Michaelis* eadem in *Urbe* *Abbas* obiit, ut patet ex *Epitaphio* ejusdem, quod hodieque *sarcophago* inscriptum legitur his verbis: *Hic jacet Dominus Waltmannus, Primus Abbas hujus Ecclesiæ, qui obiit an. Domini M. C. XXXVIII. XVII. Kal. Maji. Orate pro eo.*

Libet hic subjungere, quod *Scriptor historiæ S. Norberti cap. 38.* annotavit; nempe tres istos *Abbatem* jam dictos, *Hugonem* *Præmonstratensem*; *Richardum* *Floressiensem*; & *Waltmannum* *Antverpiensem*, item *Walterum* *Laudunensem* & *N. Vivariensem*, ac postremo *Odonem* *bonæ spei* in *Hannonia* *Abbatem* (quem *Hugo* *Præmonstratensis* *Abbas* paulò post *Adventum* suum eodem miserat) hos, inquam, sex *Abbatem*, religiosæ disciplinæ dissolutionem metuentes, primo quasi *capitulo* indistincto loco convenisse, & *superflua* quæque suis in *domibus* recidisse. Adhæc statuisse exemplo *Cisterciensium*,  
(E 2) similem



similem annuatim Conventum, seu Congregationem habendam, ad sinistra quæque corrigenda, atque salutares leges constituendas. Quod quidem, cum aliis in locis divulgatum esset, factum est, ut cum primo anno sex non nisi adfuissent; secundo anno novem, tertio duodecim, quarto decem & octo Antistites Comitibus interfuerint, sicque paulatim multiplicata Præmonstratensis familia per orbem ferè univèrsam dilatata est.

Porrò statutum illud de Conventu, seu Capitulo annuo celebrando, & magni momenti semper est habitum, sic & inter statuta univèrsi Ordinis Præmonstrat. an. 1505. typis evulgata, meritò est relatum his verbis: *Sanè, ut ea, quæ in hoc libello scripta sunt, firmitus teneantur, communi assensu Patrum statutum est, ut semel in anno, sese visitandi gratia, ordinis reparandi, confirmandæ pacis, & conservandæ charitatis, omnes Abbates nostri Ordinis, vel ad minus duo de qualibet Circaria per illam Circariam deputandi, qui venient expensis Circaria, nisi Dominus Præmonstratensis duxerit esse plures vocandos, pariter ad Capitulum generale nostri ordinis conveniant in Ecclesia Præmonstrat. & non alibi, nisi de assensu Domini Præmonstratensis, & Capituli generalis aliter fuerit ordinatum, Dominica Cantate post Pascha. Hæc ibi.*

Anno circiter 1129. Magdeburgi in Ecclesia Deiparæ sacra, amotis Clericis, seu Canonicis secularibus, qui viginti numero sub unius Præpositi regimine residebant, sui Ordinis fratres Norbertus collocat. Continuator Sigebrt. vult id factum anno 1129. Scripitor autem vitæ S. Norberti ait demum post annos aliquot in Episcopatu transactos id à Norberto impetratum.

Anno 1130. in Cella Dei superiore (de qua supra diximus anno 1128.) Embricone Episcopo Herbipolensi consentiente, constituta est & virginum Monialium Præmonstratensis instituti Congregatio.

Initio enim plantationis Norbertinæ, multis utriusque sexus hominibus eam amplectantibus, id ferè servatum est (quod Brigittinæ familiæ Religiosi hodieque observant) ut Monachorum Collegio vicinum adeoque contiguum, subinde Virginum sacrarum domicilium existeret, sicque (ut Jacobi Vitriaci Card. verbis utar) quasi ex duobus virorum & mulierum parietibus, uno angulari lapide conjunctis, jucundum Deo constructum esset habitaculum. Sic & in ipso Præmonstratensi Archicænobio Moniales quoque à B. Norberto collocatas fuisse, constat ex diplomate quodam Cælestini II. Pontificis Max. ad Hugonem Abbatem Præmonstrat. Romæ VIII. Id. Decemb. anno 1143. dato; cujus exemplar Averbodienses nobiscum communicarunt. Sic in Belgicis quoque Monasteriis, nominatim Antverpiensi & Parcensi Virgines seu conversas olim refedisse, ipsa Monasteriorum vetera monumenta testantur.

Sed vitandis periculis ac scandalis, postea id communi Patrum decreto immutatum est. Qua de re vide infra an. 1198. & 1244.

Redeo ad Cellam Dei superiorem, in qua quidam locus monialibus deputatus, Paradisi nomine appellabatur Sancti Michaelis Archangeli patrocinio consecratus. Sed ad prohibenda scandala inde emergentia, post in locum nonnihil à Monachorum habitatione distitum ad Menum fluvium Virginum Monasterium translatum est, dictumque Inferior Dei Cella. Cujus quidem Præfetas recenset Caspar Bruschius, in Catalogo Monasteriorum Germaniæ, de Cella Dei Superiore agens. Addit idem hoc Monialium Cænobium anno circiter 1530. mutatum esse in Præposituram Monachorum, excluso sexu fœmineo.

#### ANNO 1130.

Albero Vir Nobilissimus ac Prudentissimus (cujus supra anno 1128. meminimus) anno Christi 1130. creatur Episcopus 46. Viridunensis in Lotharingia. Fuit illi magna cum Sancto Norberto familiaritas, quo factum, ut & Ordinis Præmonstratensis fautor eximius extiterit & multorum fundator Monasteriorum. Ac primum in Monasterio S. Pauli apud Viridunum, amotis Benedictinis, Præmonstratenses, substituit: Innocentio III. Pontif. Max. approbante. Quod mox ita floruit, atque accrevit, ut trecenti in eo essent alumni Religiosi.

Erexit insuper idem Albero suis sumptibus, tria alia Præmonstratensis Ordinis Cænobia, nempè *Bellum Vallem*, in silva Tullensi. Alterum apud Hattonis castrum, quod *Stagnum* vocant, & tertium apud oppidum, quod *Artus Villa* dicitur, in valle Genesii. *Richardus Wabeburgius lib. 4. Antiquit. Gallie belgicæ.* Qui eodem loco asserit, vicesimo ab institutione Ordinis Præmonstratensis anno numerata fuisse hujus familiæ Monasteria facilè septuaginta.

Joanne Episcopo Morinensi anno 1130. defuncto magna pars populi Balduinum, Theodorici Flandriæ Comitibus fratrem, natu juniorem, Episcopum postulavit. Sed cum eum ad hanc functionem minus idoneum Remensis Archiepiscopus, & Suffraganei judicarent, est electus à Clero venerabilis Milo, instituti Præmonstratensis Abbas S. Judoci



Judoci in Nemore, consecratusque est ab Archiepiscopo Remensi XV. Kal. Mart. anno 1131. *Joannes Iperius in Chronico manuscripto Bertinensi.*

De Milone isto, itemque Norberto, ac Bernardo Clarevallensi, vulgare illius ætatis judicium atque elogium fuit: In *Norberto* fides, in *Bernardo* charitas, in *Milone* humilitas fuit. Vide continuatorem Sigeberti. Scriptorem vitæ S. Norberti, cap. 5. & Jacobum Meyerum in Annalibus Flandriæ.

Fuit autem Tarvana Morinorum veterum urbi mediterranea, Flandriæ titulo ex Caroli Calvi donatione comprehensa, cum universo terrarum tractu, qui Samona & Scaldi fluminibus circumscribitur. Quam urbem cum annos multos Reges Galliæ tenuissent, atque in Flandriæ Artesiæque perniciem communivissent, Carolus V. Imperator eam post bimestrem obsidionem expugnavit, funditusque excidit, postridie Kal. Junii anno 1553. Sedis autem Episcopalis portio una Bononiam ad Oceani ripam, altera partim Ipras Flandrorum, partim Audomaropolim Artesiæ translata est.

## ANNO 1131.

Urbis hujus Episcopos, inter quos hic *Milo* ordine tricesimus fuit, recenset Antonius Monchiacenus Demochares lib. de SS. Missæ sacrificio.

Cæterum *Milo* jam Episcopus creatus, multisque negotiis implicatus, zelum tamen suæ religionis propagandæ nequaquam dimisit. Itaque eodem ipso anno, quo consecratus est Episcopus, *Selincartense* D. Petri Monasterium fundavit. Quod quidem anno 1444. exustum, post instauratum est, ex hoc Monasterio celebris sodalitas *Lacrymæ Christi*. Unde in Missali Præmonstrat. est peculiaris Missa de Lacryma Christi.

His temporibus Ordo Canonicus Præmonstratensis, & Monasticus Cisterciensis, quasi duæ oliivæ in conspectu Domini pietatis lumen & devotionis pinguedinem, mundo ministrabant, & quasi vites fructiferæ, religionis palmites circumquaque propagabant, & per universum penè Christianum orbem novas Abbantias construebant. Unde & in Syriam ac Palæstinam è Præmonstrato fratres missi, nonnulla ibidem Monasteria ædificaverunt.

Erat itaque circa hæc tempora pulchra & decora Ecclesiæ facies, diversorum Ordinum ac Professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenses, inde Cistercienses, illinc Cluniacenses Monachi, diversi item habitus ac Professionis Sanctimoniales, ac Deo devotæ mulieres, in continentia ac paupertate sub obedientiæ jugo regulariter viventes, fervore religionis se mutuo provocarent, & nova certatim diversis in locis Monasteria construerent. Cum his & Carthusiani Monachi, itemque milites Hierosolymitani, ac fratres Hospitalarii, auctis quotidie copiis, per orbem universum sese diffundebant.

Anno 1131. conditum est *Lisquense* cœnobium, à *Roberto* Lisquensi, viro clarissimo, qui cum filiis quatuor regularem ibi professus est vitam: quod Monasterium postea *Milo* Episcopus Morinensis attribuit Monachis Præmonstratensibus Abbate illis dato *Henrico*. *Item Meyerus in Annalibus Flandriæ. Iperius in Chronico Bertinensi paulò aliter hæc refert: Robertus. inquit, Barbatus anno 1131. in terra sua de Lisques Ecclesiam fundavit in honorem B. Mariæ Virginis, & in ea IV. filios suos Canonicos seculares, seipsam quoque quintum Præpositum instituit, & præbendas assignavit in honorem sancti sepulchri Domini. Ad quod visitandum cum suis IV. filiis prædictis pergens de secularibus Canonicis Regulares fecit & Canonicis Watinensibus subdidit. Sed Milo Morinorum Episcopus in plena Synodo, & consentientibus Canonicis Watinensibus prædictis mutavit eos in Præmonstratenses, quos è Monasterio S. Martini Laudunensis adsumpsit, eisque Dominum Henricum ejusdem Ecclesiæ S. Martini Monachum præfecit Abbatem anno Domini c15. cxxx1. Hætenus Iperius. Est autem Lisquense oppidum apud Caletes, in finibus regni Galliæ situm.*

Hoc verò tempore, cum Remos in Galliam Episcopi nationum omnium, ad Concilium pro excoindendo schismate à Petro Leone adversus Innocentium II. legitimum Honorii II. Successorem excitato, convocati essent, eodem & Norbertus se contulit. Ubi non modo pro publica Ecclesiæ universæ causa strenuum se gessit, sed & ordinis sui privilegia à Prioribus aliquot Pontificibus Maximis confirmata, ab Innocentio rursus approbanda agendaque curavit. *Scriptor vitæ ejus cap. 49.*

Circa hæc tempora excitatum est cœnobium D. Evodio sacrum à Domina *Agnete*: Comitissa Branensi, in diœcesi Suesfionensi, multis Principum sepulchris, ac vitreis fenestris à Regina quadam Angliæ eò missis, insigne: maximè verò gloriosum ob sacratissimam hostiam Corporis Christi, quæ anno 1133. in specie visibili cruci adfixus apparuit, ad confundendam Judæorum perfidiam, qui tum præsentibus erant, & quorum conversionem procurabat dicta Comitissa. Quo viso miraculo, Judæi in Christum baptizati sunt, hostiaque ibidem maximo cum cultu ac veneratione asservatur & à peregrinis



grinis visitur. Contigit hoc Henrici Archiepiscopi Remensis, Anselmi Episcopi Sueffionensis, & Petri Abbatis Brandensis temporibus: Sic Servatius Larveltz in Catalogo Canoniorum Ord: Præmonstrat.

## ANNO 1132.

Floruit iisdem temporibus B. Garenbertus, Abbas Monasterii Boerensis, quod hodie Mons S. Martini vulgò appellatur in diœcesi Cameracensi, ad cuius montis pedem Scaldis fluvius celeberrimus suam habet scaturiginem. De B. Garenberto hæc habet Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ. De sanctimonia D. Garenberti hoc modo scriptum invenio. Circiter annum salutis 1100. fuit in agri Furnensis pago, cui Vulpes nomen, quidam Beldralanus cum uxore Raganilde, homines secundum consuetudinem ejus religionis liberi, mediocriter locupletes. His fuit filius nomine Garenbertus, bonæ indolis puer, qui apud Canonicos S. Walpurgis in oppido Furnensi traditus liberalibus disciplinis, ita ibi versatus est, ut ea, quibus tenella ætas implicari solet, vitia omnia fugeret. Hic domo egressus paterna, ut gallicam addisceret linguam, Cameraci habitavit quadriennio: deinde habitavit in oppido S. Quintini, serviens ibidem cuidam nobili viro Oglardo nomine, aliquando tempore. Secessit dehinc in silvam ab Oglardo sibi traditam, Boenii vulgò nominatam: ubi discipulos congregans, tanta vixit sanctitate, ut ab Liethardo Episcopo Cameracensi primus creatus sit Abbas Boenensis Ecclesiæ.

Hactenus Meyerus Est autem Liethardus iste, creatus Episcopus Cameracensis anno circiter 1131. refeditque in ea sede, tres duntaxat annos. Ex quo patet, quo ferè anno Beatus Garenbertus creatus sit Abbas. Agit & Joannes Molanus in natalibus Sanctorum Belgii sub finem de Beato Garenberto: qui eum ab ejus loci incolis, quanquam nondum More Gallicanæ Ecclesiæ è terra elevatum, S. Walimbertym dici asserit.

## ANNO 1133.

Circa hæc tempora conditum est in Bohemia Siloense Monasterium à Sobieslao Bohemorum Principe, teste Joanne Dubranio lib. II. historiæ Bohemicæ. Quod quidem non ab initio, sed postea Præmonstratanis traditum crediderim, quod Strabovianse, seu Montis Syon primum & antiquissimum habeatur, hujus Ordinis Præmonstratani apud Bohemos Monasterium.

Anno circiter 1133. Averbodiense Monasterium milliari uno à Sichenis, Brabantia oppido distans, fundatum est ab Arnolde Comite Loffensi ejusque filio Ludovico Canonicis Antwerpia ex D. Michaelis Monasterio evocatis, & Andrea quodam Abbate primo constituto. Quam foundationem Innocentius II. Pontifex Maximus diplomate suo, anno Christi 1139. Pontificatus sui decimo confirmavit.

Est verò Monasterium hoc in finibus Brabantia & Loffensis seu Leodicensis ditio- num situm: aded ut communi fratrum suffragio electus Abbas, atque à Brabantia Duce nominatus, post impetratam à Generali Ordinis Præfecto confirmationem, à Leodicensi Episcopo consecratur, eidemque ut ordinario subsit. Quo fit, ut Abbas Averbodiensis in Comitibus Brabanticis, & suum inter proceres Ecclesiasticos locum habeat, & apud Leodicenses titulo atque honore Canonici Ecclesiæ Cathedralis S. Lamberti etiamnum gaudeat.

Inter cæteras autem Laudes Abbatia Averbodiensis non minima est, duplicem quasi foetum ex ea natum, virilem unum, fæmineum alterum.

Andreas namque primus Averbodiensis Abbas, diducta quasi Colonia, fratres aliquot in monte S. Joannis apud Mafeycam ditionis Leodicensis oppidum, cum honesta dote constituit, Gifelberto quodam Abbate eis dato. Quod Monasterium ut & Averbodiense, Cælestinus Pontifex Max. Privilegiis communivit. Rapaci tamen quorundam injuria & fortuito incendio accedente, factum est, ut locus iste paulatim à fratribus desereretur; nullumque hodie præter facellum ac villam Monasterii veteris, extet vestigium. Alter fætus felicior, magisque vitalis fuit. Est is illustre Monialium nobilium Monasterium in Comitatu Hornensi apud Ruremundam, Geldria urbem situm, vulgò Keyfersbusch Latine Cæsareum nemus nuncupatum: qui locus anno circiter 1225. sacris Virginibus ab Averbodiensibus est traditus, qui ibidem hodieque Præpositum seu Rectorem monialium suo jure constituunt. Habet autem Averbodiense Monasterium, annexos sibi pastoratus, sive curas Parochiales ferè sex & viginti; in quibus eminet cura Pastoralis oppidi Venlonensis, ad Mosam fluvium in Geldria & municipii Wefemalien- sis in Brabantia.

Lotharius Imperator sacra in Italiam expeditione parata, unà cum Episcopis & Archiepiscopis, aliisque Præsulibus (inter quos ut duo sidera Norbertus & Bernardus Abbas Clarevallensis eminebant) Innocentium II. Papam Romam deducit, pulsoque Petro Leone Antipapa, eum in sede Pontificia collocat. Continuator Sigeberti & scriptor vitæ ejus, cap. 52.

In



In hac sacra expeditione Norbertus Ecclesiae suae Magdeburgensi ab Innocentio II. Papa, & Lothario Imp. cui ob vitae integritatem atque in dandis consiliis prudentiam gratus admodum acceptusque erat, Primatus titulum impetravit. Est enim Magdeburgensis Ecclesia prae caeteris Moguntina, Coloniensi, Trevirensi, Salisburgensi, Bremensi, & Rigenfi Germaniae Archiepiscopalibus Ecclesiis, Primatus nomine per universam Germaniam jam olim honorata. Qua de re Conradus Celtes Albim fluvium, ad quem Magdeburgum situm est, describens ita canit:

*Ejus & ad ripas Magdeburgum nobile splendet  
De septem sacris sedibus una nitens.  
Condidit hanc primus Caesar, qui dicitur Otto,  
Otto Saxonica gloria prima plagæ.*

Ita Caspar Bruschius in Catalogo Monasteriorum Germaniae, ubi *Cellam Dei superiorem* describit.

ANNO 1134.

NORBERTUS ab expeditione Italica, cum Lothario Imp. in Germaniam reversus, haud multo post Magdeburgi infirmitate corripitur, quâ menses quatuor laborans, anno Episcopatus sui octavo, data astantibus fratribus benedictione, integris sensibus & sancto Spiritu plenus, piè in Domino obdormivit 8. Idus Junii, Anno Incarnationis Dominicae 1134. feria 4. Pentecostes, Pontificatus Innocentii II. anno quinto, Regni Lotharii IX. Oborta post beati viri obitum de sepulturæ loco inter Clericos majoris Ecclesiae, & fratres Ecclesiae B. Mariae piâ contentione; res ad Lotharium Imperatorem delata est, cujus jussu in Monasterio S. Mariae apud fratres ac filios, quos Christo genuerat, est conditus. Jacuit itaque annos aliquot in medio Monasterii, ante aram S. Crucis: quem ut ante oculos pii semper haberent filii, inde ad odeum templi sui, (vulgò Chorom vocant) transfulerunt, ubi hodieque ante aram summam quiescit. *Continuator Sigeberti, Tribemius in Chronico Hirsaugiensi, & scriptor vitae ejus, cap. 52. & 53.*

Caeterum libet hoc loco inquirere, quis sit Auctor Historiae seu vitae S. Norberti à Laurentio Surio editae, quæque passim (auctior tamen ac prolixior) existat Manuscripta, non addito auctoris nomine. Zacharias Lippeloius in Tomis de vitis Sanctorum à se editis, eam falsò adscribit *Hugoni Floressiensi*, quem constat anno demum millesimo ducentesimo vigesimo septimo floruisse, ut infra suo loco dicemus. Alii *Hugoni Cameraensi*, qui Beato Norberto in Præmonstratensis Ecclesiae praefectura successit, eam attribuant. Et verè fortassis: Nisi quod contra facere videtur; eum cap. 13. piæ & sanctæ conversationis hominem nuncupari: quod elogium sibi utique vir modestissimus non videtur attribuisse. Utut sit, illud certò conitat ex capitibus 18. 29. 35. & 54. fuisse scriptorem hunc ex primis B. Norberti sociis, eidemque admodum familiarem convixisse. Verba capituli 54. quibus historiam concludit, hic suffecerit attexuisse. *Sed dicit aliquis, inquit, audio, quod scriptum est, verum autem ne sit hoc scriptum, dubito, quia mihi incertum. Crede, si vis, veritatem rei gestae in Christi veritate scriptor exhibet: quia aut vidit ea, quae de ipso scripsit, aut audivit à viris relatoribus, qui viderunt, & adhuc vivebant, quando praemissum opus per hoc scriptum memoriae commendavit, praeter quaedam, quae ab ipso didicit, quae gessit, antequam exiret de terra, & cognatione sua.*

Adhæc phrasis seu dictio, itemque vocabula gallica, quibus auctor passim utitur, ipsum natione Gallum fuisse commonstrant.

Monasterium Tungerloense (à veteribus Tungris hujusce tractus incolis nomen habens) conditur in Brabantia anno 1134. Fratribus ex Abbatia S. Michaelis Antverpiensis eodem evocatis, & *Henrico* quodam primo Abbate constituto. Fundator Monasterii primus fuit vir plebejus & dives, nomine *Giselbertus*: qui se suaque universa Deo tradens, ibidem religiosus seu conversus (ut vocant) factus est. Post à variis Principibus dotatum, atque à Joanne II. Brabantiae duce anno 1297. in clientelam susceptum, in oppidi ferè magnitudinem excrevit: adeò ut inter Brabantiae hodie Monasteria, amplitudine atque ædificiorum apparatu excellat. Est in eo insignis veterum manuscriptorum librorum Bibliotheca. Itemque ædicula custodiae SS. Corporis Dominici deputata ex alabastro artificiosissimè fabrefacta.

Solent autem Tungerloe septuaginta ferè aut octoginta Religiosi esse: quorum plerique per Campaniam Brabantinam curis pastoralibus praefici consueverunt, idque magno Ecclesiae bono. Habet enim Tungerloense Monasterium annexas sibi Parochias amplius triginta praeter facella minora.

(F 2)

Lau-



Laudantur inter Abbates Tungerloenses *Joannes à Sichenis*, Abbas XXIV. qui Diestemii, quod Brabantia est oppidum, Canonicorum Collegium anno circiter 420. fundavit, dotavitque. *Arnoldus* item *Streeters*, Distemius, qui amplissima ædificia ab Antonio *Isgrate*, Ostrovirano inchoata, perfecit, auctaque in immensum Bibliotheca viros eruditos domi forisque liberalissimè fovit. Domi quidem Theologiæ Professores habuit *Cornelium Jansenium* post Gandavensem Episcopum, & *Cornelium Uranxium*, Columbantum. Ex Canonico & Pœnitentiario Gandavensi ad D. Petri eadem in urbe Abbatem Blandinensem.

Est autem Tungerloa sita tertio ferè milliari ab Arscoto, Brabantia oppido, Ducali Crojanae familiae titulo illustri. Fuit verò Abbatia hæc Tungerloensis à Pio IV. Pontifice Max. Episcopatu Silvæducenti unita, D. *Francisco Sonnio*, & D. *Laurentio Metscio*, Episcopis Silvæducentibus, simulque Abbatibus Tungerloanis existentibus. Sed tempore D. *Clementis Crabbellii*, tertii Episcopi Silvæducentis, Abbatia sejuncta est ab Episcopatu, certa dote annua Episcopo assignata.

### ENCOMIUM ABBATIÆ TUNGERLOENSIS EX JOANNE GOROPH BECANI ORIGINIBUS ANTWERPIANIS.

**TUNGERLOUM** in vasta quidem solitudine situm est, sed tale tamen ac tantum, ut Magnificentia sua regia omnium animos atque oculos in se convertat: & quicquid tandem è salubrone sterili & longo latoque ericetorum tractu iter hac habentes contraxerint; id amenitate sua inexpectata insperataque penitus discutiat & expurget. Procul à campeltri & rafa planitie intuentibus, densissima altissimaque silva sese oculis offert; quæ nisi occultum ædificium altissima turris prima procul intuentibus se proderet, declinanda fugiendaque ut latronum vel ferarum sedes videretur. Jam propius aggressis vetusta quercus & rectis caudicibus cælum petentes se ostentant: quæ tam arctis inter se & angustis spatiis comprimuntur, ut altera alteri locum non relinquat: alimentum in ramorum tabulata diffundendi. Quæ de re fit, ut & altissimum & rectissimum auctum custodiant. Hic tum statim pervidetur, ab iis saltem, quibus nec mens, nec oculi desunt, non solius naturæ hoc opus esse, sed arbuta hominum industria olim consita, & diligenti cura in sterili solo educata. Non igitur lustra hinc inde belluarum, sed statio hominum diligentissimorum expectatur in progressu videnda. Porro simul ac robora hæc sublimia, ac densis comis inter se connexa subiveris nescio quem motum animus persentiscat, atque perinde te senties affici, ac si in angustum aliquod sanum sis ingressus. Umbra enim illa quercetorum obscura, & opaci luci senium venerandum, ut omnibus religionem quandam offert, & quasi horrorem incutit, ita doctis viris Dodonæam silvam in mentem reducit; cujus quercus ita fuere divinæ, ut oracula ederent, & consulentibus sua fata Cantarent. Et optimè sane Dodone in mentem venit. Quemadmodum dum illic amplissimam celeberrimamque Jovi templum fuit; ita & hic est omnium pulcherrimum & ornatissimum D. Virgini sacrum. Ubi namque è caligine lucorum ingentium emerferis in locum venit illustrem, qui fossis undique & muris longissimo spatiorum circuitu cinctus, non templum, sed integram civitatem videtur continere. Quæcumque enim ad hominum vitam sunt necessaria, in eo parantur; quibus cum munitio accedat, & justus hominum numerus, non video, quid ad oppidi nomen desideretur. Relinquo igitur omnium artium officinas, nec cœmæmoro ædificia magnifica hospitibus & parata & instructa; nec Abbatis palatium attingo; nec monachorum numero commoditates, & varia domicilia, alia aliis horis & usibus servientia; omnia hæc, quia plura sunt, quàm mihi sit compertum, & in aliis etiam Monasteriis, licet non paria, inveniantur, missa facio: duo tantum maximè admiror Templum & Bibliothecam. Templum enim tale est, ut vix invenias, quod illi compares: pendet tectum lapideum sublimibus columnis, cujus fornices si suspicias, oculi caligant, tam inmanis est altitudo: & quamvis columnarum multitudo magna sit, & ornamentorum ingens copia, totum tamen est tam illustre, ut non foris plus, quam intus lucis affulgeat. Celati marmoris & statuarum non tam numerus, quàm ars est admiranda. Inter cæteras picturas unam habet ingentem tabulam, cujus solius gratia, tametsi cætera omnia deessent, facile hujus regionis magnificentissima etiam templa, quæ nusquam gentium, quàm apud nos vel plura sunt, ornatiora, vel superaret. Huic adhaerent porticus ingentes, altissimis etiam pilis suspensæ. Duo imprimis admiratus sum Monasteria, extra regionem nostram Guadalupidum, in quo ad quatuor menses jucundè sum Palladi & Apollini Herbario operatus: Alterum Cassinate, cui & villæ Varonis oppido subjecto, à Sancto Germano nomen ab optimis artibus, gratissima mulierculis Palladiæ artis studiosis suppelledile, sortito: hebdomadam unam ad videndum impendi. Quorum utrumque, ut divitiis & cæteris rebus ad magnificentiam spectantibus, quantumvis videri queat superius; templi tamen structura & ornatu ambo longè sunt inferiora. Monstrent sculpturas picturasque, monstrent caligantem testudinis supremæ altitudinem, monstrent sacellum corpori dominico dedicatum, monstrent altissimas picturatasque vitreas fenestras: Monstrent organa musica: his omnibus, scio superabuntur: Sed præter hæc unum est, in quo indigna sunt, ut huic nostro conferantur: Horologium enim habet Tongerlolum hoc tamen campanarum numero & varietate tenorum admirandum: quod

Carmina



*Carmina multiplici sonorum concentu, non secus, atqui organum modulatur prius quam horas maxima campana sonoro suo vastoque indicet bombo, Dodonæo æri longè præferenda. Atque hæc quidem obiter de templo, Bibliotheca verò in nullo unquam Monasterio par visa est, sive ipsius magnitudinem, sive librorum varietatem spectes. Videre igitur nunc licet ingentes illas umbrosasque quercus, verum Dodonæi & templi & oraculi symbolum fuisse. Unde enim rectius veritatem petas, vel de iis quæ ad Religionem spectant, vel de aliis, quæ vitæ usibus sunt necessaria; quam aut è piis doctisque viris, aut è multis omnium rerum divinorum humanarumque Magistris? Habemus ergo in campestri nostra Brabantia in Ambivartorum & Tingrorum finibus antiquis, Dodonæum hæcenus & templum & oraculum; quod Deus Opt. Max. faxit, ut nunquam bonis, piis, eruditisque viris florere cesset, quo pagatim per ericetorum solitudinem habitantem, & vitæ exemplo & verbo Dei pascat.*

Inter picturas à Goropio laudatas, eminent ea, quæ Christi crucifixi historiam representat, ex Prototypo Middelburgenfi Joannis Mabusi, præstantissimi, inter Belgas pictoris desumpta. Item historię cœnæ Dominicæ, ab optimo item Pictore Italo expressa, ad quas aliasque visendas & Nostrates & exteri sæpè pictores Tungerloum excurrunt.

FOLCOLDUS Princeps ditiois Mosam inter & Wahalim fluvios sitæ, & Comes in Teisterbandia (quæ ditio olim Heusdanum tractum, & Altenaensem, itemque Bommelanam Insulam continebat) in gravissimo vitæ periculo, hostibus insequentibus, constitutus, equo insidens, in Mosam fluvium præcipitem se dare coactus, Deo vovit, Monasterium se exstructurum, si flumen transmittere periculumque evadere concederetur. Voto itaque facto, tradunt visam Deiparam, tergo equi, quo Folcoldus vehabatur insidentem. Folcoldus itaque ab undis & hostibus liberatus, Andrea Ultrajectensi Episcopo probante, castrum suum Bernam, in Monasterium convertit, anno 1134. fratribus aliquot ex *Insula Beata Maria* advocatis. Quos inter & ipse fundator conversus (ut vocant) annos quindecim vixit, sancteque obiit, Bessela Summerensi uxore ejus consentiente: quæ & ipsa seculo renuntians, inter Mosam & Wahalim fluvios, in loco, qui *Wortt* dicitur, Monasterium itidem exædificavit; in quo Virginibus 70. ejusdem candidi ordinis institutum amplexis, Abbatissa laudatissimè præfuit.

Cæterum *Berna* ad Mosam fluvium secundo à Silvæducis Brabantię urbe milliari sita est: cujus loci Abbas & religiosi, ob bellorum injurias Silvæducis hodie agunt, Monasterio Bernensi ab hæreticis ferè vastato.

Primorum autem fratrum, qui ex *Insula Mariæ*, à Roberto ejus loci Abbate Bernam missi sunt, nomina hæc fuere, *Everhardus Ornesus* Everardi frater: horum consobrinus *Ornesus Junior*, & *Gerardus*, qui Bruxellis in Brabantia nati, liberalibus studiis egregiè erant instructi. Primus Abbas electus est *Everardus*, qui cum 34. annos summa sanctitate præfuisset, obiit XVIII. Kal. Octob. Anno 1168. Sub hoc Abbate floruit *Bernæ Theodoricus*, vir optimus & doctissimus, qui *Homilias* aliquot & *Historias* nonnullas conscripsit: Qui quidem ante obitum, una cum *Odulpho* sibi amicissimo à B. Virgine Maria meruit visitari. *Hæc ferè nobis Bernenses ex suis monumentis, & Joannes Becanus in manuscripto Chronico Ultrajectensi suppeditarunt.*

## ANNO 1135.

Fundatum est Monasterium S. Andreæ in nemore Canonicis Præmonstratensibus ex Monasterio S. Judoci in Nemore evocatis. Est hoc Monasterium situm sesqui milliari ab Hesdinæ, Artesiæ oppido.

## ANNO 1136.

Monasterium Seriacense, quod vulgò *Seriacum in pratis* dicitur. Fundatum est anno 1136. in honorem Deiparæ Virginis, fratribus primis ex S. Judoci Nemore venientibus.

## ANNO 1137.

Apud Niniven (Joannis Despauterii celeberrimi Grammatici patriam) Flandriæ oppidum, quod vulgò *Niniviam* vocant, exstruitur Cœnobium DD: Cornelio & Cypriano sacrum, à Gerardo Comite Stabuli, viro Nobilissimo, filio Amalrici Comitis Stabuli, seu Magistro equitum Flandriæ. Qui Gerardus ibidem post mortem uxoris suæ Gislæ monasticum institutum amplexus est, mortuusque juxta uxorem Gislam honorificè sepultus.

Primus ejus loci Abbas fuit *Gerardus* Canonicus S. Martini Laudunensis: Secundus *Gerardus* Canonicus Parcentis: Tertius *Gerardus* Canonicus Laudunensis. Ita *Meyerus & Marchantius in Annalibus Flandriæ.*

Sed *Balduinus* Ninivensis in Chronico suo manuscripto, quod apud Ninivenses aservatur, & monumenta ejusdem loci paulò aliter, ex quibus nos ista desumpsimus.

Collect. Script. Monast. Tom. VI.

(G)

Cum



Cum hoc tempore Præmonstratensis Ordinis suavissima Conversationis opinio, Deo grata, & mundo plurimum commendabilis existeret, anno 1137. Ninivensis Canonico-  
rum trium secularium Ecclesia, ab Amelrico Ninivensi Principe, ejusque filio, item  
Amelrico jam olim fundata in Præmonstratensem conversa est, Gerardo Amelrici Junio-  
ris filio consentiente & dotante. Eodem itaque anno in festo B. Martini duo Canonici  
seculares Ninivenses *Balduinus* Wada, & *Ototus* (tertius enim jam obierat) assumpto ha-  
bitu Ordinis Præmonstratensis, cum septem fratribus ex Parcensi, apud Lovanium Ab-  
batia venientibus, unanimi consensu Abbatem elegerunt Dominum *Gillebertum*, Canoni-  
cum Laudunensem, virum scientia & moribus adornatum, *Waltero* Laudunensi & *Simone*  
Abbate Parcensi, electionem comprobantibus. Huic anno 1142. suffectus est *Gilleber-  
tus*, Canonicus Parcensis, Gilleberto Parcensi tertio post mense, aut circiter, successit  
*Gerardus* Canonicus Laudunensis. Sub quo anno 1157. templi novi, Ninivensis Mona-  
sterii prima fundamenta jacta sunt. Anno verò 1166. fratres veteri relicto, ad novum  
claustrum templumque se transfulerunt. Post annum 1170. IV. Nonas Julii nova Ec-  
clesia ab *Eskillo*, Lundensi Archiepiscopo, Daciæ & Suetiæ Primæ, sedisque Apostolicæ  
legato, consecrata est. Obiit autem dictus *Gerardus Abbas*, IV. Kalend. Octob. anno  
1185. cum annis 44. Laudatissimè præfuisse. Gerardo successit *Arnoldus* officio Prior.  
Is septem liberalibus artibus apprimè instructus, cum an. 1141. monasticum institutum  
amplexus esset, eodem ipso anno Prior designatus est: quod munus laudatissimè gessit  
annis 45. Hunc cum aliis multis fratres Germani duo *Davianus* & *Alardus* & Soror  
*Harvoigis*, ad idem vitæ genus sunt secuti. Fratrum verò alter *Davianus*, aded in lit-  
teratura ac præcipuè in Musica excelluit, ut Sanctorum laudes seu officia ab ipso com-  
posita & musicis notis adornata, certatim à vicinis expeterentur, & decantarentur.  
Vidi elegantissimum SS. Cornelii & Cypriani Martyrum officium, ab eodem compositum:  
quod hodieque Ninivenses Religiosi per Octavam decantant. Obiit autem *Arnoldus* Ab-  
bas VIII. Idus Octob. an. 1190. Annis 5. in Abbatiali præfectura exactis. *Arnoldo* defun-  
cto suffectus est *Matthæus* ex Scornaio oriundus, Montis S. Martini Canonicus vir sin-  
gularis doctrinæ ac pietatis. Scripsit Sermones diversos, ut erat Ecclesiastes egregius.  
Itemque Commentarios in Davidis Psalmos, & Isaïæ Prophetiam, qui apud Ninivenses  
manu scripti extare solent, sed turbatis istis temporibus perierunt. Anno autem 1195.  
abjecta præfectura, vir quietis amans, ad suos reversus, ibidem piè defunctus est, *Algato*  
viro optimo successore designato.

Et autem Ninivensis Abbatia hodieque admodum florens, in ipsis oppidi mænibus  
sita, quam ab hæreticis penè everfam, superioribus annis eximie instauravit R. Abbas  
*Antonius* Langius, nobili apud Mechlinienses loco natus, vir modestia & pietate in-  
signis, ac studiorum fautor egregius.

Affervantur in hac Abbatia reliquiæ Sancti Cornelii Martyris, ad hunc usque diem  
miraculis celeberrimæ: de quibus ibidem extat liber vetus manuscriptus in pergameno,  
quem ipsi vidimus. Solentque morbo caduco laborantes eò potissimum confluere.

Anno eodem Præmonstratenses collocantur in *Truncinio*, vulgò *Drongen*, ad Lisam  
fluvium, milliari uno à Gandavo, Flandriæ urbe amplissima.

Cæterum loci hujus Ecclesiam Deiparæ sacram, à S. *Basino* Regulo & Martyre  
constructam ac dotatam, B. *Anandus* Trajectensis Episcopus & Gandavensium Apost.  
Collegio Canonico-  
rum sive (ut veteres loquebantur) Monasterio Clericorum in com-  
muni viventium decoravit. Quod à Normannis anno 883. dirutum, à *Balduino* Calvo,  
Flandriæ comite, post instauratum est appellatumque *Altum Monasterium in Truncinio*.

Sed Canonicis amotis *Ivanus*, Comes Alostanus, Præmonstratenses ex Monasterio  
S. Martini Laudunensis evocavit, locumque eis attribuit, *Odgero* Præposito cedente  
præposituram. Ita ferè *Meyerus* & *Marchantius* in *Annalibus Flandriæ*. Quidam volunt  
*Odgerum* cessisse VI. Non. Maii anno 1158. Sunt & nonnulli, qui anno demum 1139.  
feribunt Præmonstratenses Truncinium venisse. Obiit autem *Ivanus* in flore ætatis, &  
in Truncinensi Monasterio anno 1144. est conditus.

## ANNO. 1138.

*Osterboviense* Canonico-  
rum secularium Collegium, à S. Henrico Imp. S. Cunegundis  
marito jam olim fundatum, per S. Ottonem Episcopum Bambergensem vertitur in Præ-  
monstratense Cænobium anno millesimo centesimo trigesimo octavo. Ita *Wiguleus*  
*Hundius* in Metropl. Salisburgensi: quamvis *Joannes Aventinus* scribat à Benedictinis trans-  
fisse ad Augustinianos, quod etiam verum: Nam ab Augustinianis ad Præmonstratenses  
translatum est cænobium. Quod ex ipsis monumentis, quæ in ejus loci aula leguntur,  
manifestum evadit, Verba ipsa huc referre placuit. *Utilo* Rex Bojorum fundator Mona-  
sterii S. *Margaretæ Virg. & Martyris* in *Osterboven* anno Domini 735. Fratres Ordinis D. Be-  
nedicti



nedicti instituens. Hic autem Utilo, fuit filius Hungiberti, qui defuncto patre ex aula Gallie rediens filiam Caroli Martelli clam raptam, secum in Boariam transtulit, & regales nuptias cum ea Reunburgi celebravit. Sequitur infra paulo: Hæc prima fundatio cum suis ædificiis salva consistit usque ad tempora Ludovici Imp. Junioris annis centum & septuaginta. Cujus temporibus ferocissimi Hunni totam Boariam devastantes, etiam hoc Monasterium cum suis ædibus Palatinis Regulorum Boarie destruxerunt & comburunt. anno Domini 919.

In altera deinde aulæ parte hæc leguntur: Henricus IV. Dux Bojarum, dictus Hethzel natione Mosellanus, Lotharingiæ superioris Dux hoc Monasterium olim ab Hunnis excisum refecit, fratres ordinis Divi Augustini influens, anno Domini 1000. Subjicitur in eadem aulæ parte. Hæc secunda institutio permansit in Monasterio usque ad tempora Sancti Ottonis Episcopi Bambergensis. Hic consilio Divi Norberti Magdeburgensis Archiepiscopi, Præmonstratensi Ordini qui per præfatum D. Norbertum initium habuerat, devotè induxit anno Domini. 1138.

Lotharius Imp. hoc anno 6. Decemb. in Vallibus Tudertinis moritur: cujus corpus inde in Saxoniam delatum, in Lutrensi Monasterio, ab eodem exstructo, conditur. Habet autem Lutra seu Lotharia Casaret nomen, ab ipso fundatore Lothario teste Joanne Dubranio lib. II. historiæ Bohemicæ.

## ANNO 1139.

Florebat hoc tempore Gallicana Ecclesia, per viros religione ac sapientia illustres, Milonem Morinensem Episcopum humilitatis virtute spectabilem, Abusiam Atrebatensem liberalitate atque consilio & facundia clarum, aliosque scientia ac pietate insignes viros, inter quos & Bernardus Abbas Clarevalensis, plurimorum patrator miraculorum, & verbi Dei ferventissimus prædicator eminebat *Continuator Sigeberti.*

Cumque ob eximiam prudentiæ ac pietatis laudem Milo, Morinensis Episcopus, apud omnes commendaretur, Innocentius II. Pont. Max. eum Bertinianæ Ord. S. Benedicti apud Audomaropolim Abbatæ (cui gravis tunc lis erat cum Cluniacensibus) inter alios advocatum seu tutorem dedit: diplomate anno 1139. Laterani solemniter scripto. *Joannes Iperius in Chronico Bertinensi.*

## ANNO 1140.

Sancti Lucii, Rethorum Apostoli & Martyris, vetustissimum Benedictinorum Monasterium, ad muros Curiensis urbis in Rhetia, conversum est in Canonicorum Præmonstratensium domicilium, anno circiter 1140. à Conrado XXXVIII. Curiensi Episcopo filio Comitis à Biberge qui è Roggenburgenst, à parentibus suis fundato Monasterio, Præmonstratenses evocavit. Est autem hodie Xenodochium pauperumque & ægrorum receptaculum *Casparus Bruschius cit. lib.*

Eodem anno Henricus Baviaræ Dux, & Otto Frisingensis Episcopus celebris Chronographus fratres, & B. Leopoldi Marchionis Austriæ filii, Monasterium *Schefflariense*, seu *Schefflarnense*, ab Hungaris vastatum instaurarunt: & loco Benedictinorum Præmonstratenses substituerunt; quod iidem hodieque possident. *Hundius in Metropoli Salisburgensi, & Aventinus lib. 3. Annal. Bojarum, & monumenta Monasterii Schefflariensis.*

Hoc item anno Iettense Monasterium, quod *Diligentium* hodie nuncupant, uno à Bruxella milliari in pago *Iette* fundatur, fratribus *Truncinio* evocatis, & *Woltelmo* primo Abbate constituto. *Baldwinus Ninivensis in Chronico suo.* Fuit olim Benedictinorum locus, ut patet ex monumentis *Alleginienfisibus* quæ vidimus aliquando.

## ANNO 1141.

Otto Frisingensis Episcopus cum fratribus suis, Henrico Baviaræ duce, & Conrado Archiepiscopo Salisburgensi ad *Isaræ* & *Mosæ* fluvium confluentem, in superiori Bavaria, anno 1141. exstruxit novam Cellam, vulgò *Neustift*, celebre Præmonstratensis Ordinis Monasterium. *Hundius in Metropoli Salisburgensi. Aventinus lib. 3. Annalium, & Bruschius lib. cit. qui & ejusdem loci Præfectos enumerat.*

Regiæ vallis cœnobium D. Virgini sacrum in diœcesi Tullensi à Reinaldo *Leviel*, Comite Barenfi, & Stephana filia Comitissa de *Commercii* excitatur, Religiosis, è Præmonstrato ed accersitis, & *Huberto* primo Abbate constituto.

*Everbinus* Præpositus *Steinfeldensis*, vir egregiè doctus, inter alia scripsit Epistolam ad S. Bernardum, ex qua citat nonnulla *Joannes Garetius* in classibus suis de vera præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ; atque floruisse anno. 1142.

## ANNO 1142.

Tantus hæc temporibus Cisterciensis & Præmonstratensis Religionum, per orbem universum erat vigor, tantæque cum Candidatorum, tum Prædicatorum accessiones



utrique familiæ obveniebant indies, ut ad tollenda nonnulla incommoda quæ inde exurgere potuissent, commune istud dictum emiserint.

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Confirmatio societatis & pacis inter Cistercienses & Præmonstratenses.

Igitur ad custodiam pacis & charitatis utriusque capituli assensu, inter utrumque ordinem constitutum est & confirmatum, ut nullus Cisterciensium, Canonicum vel Novitium seu Conversum Præmonstratensis ordinis, nullus Præmonstratensium Monachum vel Novitium seu Conversum Cisterciensis ordinis, nisi ex pari consensu recipiant. Nullus in utroque ordine locum ad Abbatiam ædificet, circa alterius ordinis Abbatiam, infra quatuor leucas ad mensuram uniuscujusque provincia, præterquam in Anglia, ubi duæ leucæ pro una computentur, & in Lombardia duo milliaria pro una leuca, nisi fortè antiqua loca sint, quorum redditus & possessiones ad tenendum conventum sufficiant. De Grangia ad Grangiam, sive de Grangia ad Abbatiam, ad minus semper una interfit leuca. Mansio verò Sororum ab Abbatia distet duabus leucis, verumamen terræ illæ, quæ ante annum Incarnationis, & diem, qui subscriptus est, susceptæ fuerant, hac lege non tenebuntur, siquidem singulæ terræ ad integram carrucam suffecerint, vel ad ædificandum Abbatiam susceptæ fuerint. Nullus in utroque ordine alter ab altero tam de merimentis, quam de laboribus decimas exiget vel accipiet. Si aliquis in utroque ordine de qualibet re emenda vel acquirenda loco suo præsens tractare, vel aliquem convenire inceperit, antequam spontè dimiserit, nullus de alio ordine sibi usurpare, vel impedire præsumat. Si fortè in aliquibus locis inter aliquos utriusque ordinis aliquid quærimonia emergerit, & inter eos familiariter per aliquos Religiosos mediatores componi non poterit, sine majore audientia differetur & ad audientiam alterutrius Generalis capituli referetur. Quisquis in eodem capitulo reus esse claruerit, quod intulit damnum, prius restituat, & postmodum in Capitulum Abbatis, quem offendit, veniens, usque ad satisfactionem ante pedes ejus se humiliet. Reliquam verò penitentiam in dispositione generalis Capituli sui ordinis permaneat. Commemorationem & plenarium officium pro omnibus defunctis suis singulis annis invicem facient. Quod ut firmum deinceps, & in æternum quamdiu utriusque ordinis status viguerit, inconvulsam permaneat, ego Reinardus Cisterciensis Abbas & Generalis nostri Capituli Conventus: Ego quoque Hugo Præmonstratensis Abbas & Generalis nostri Capituli Conventus, præsentis charitatis chyrographo firmamus, & sigillis nostris pariter consignamus. Sigillo Reinaldi Cisterciensis Abbatis, Bartholomæi Abbatis definita. S. Bernardi Clarevallensis Abbatis. S. Wicardi Pontiniacensis Abbatis. S. Hugonis Præmonstratensis Abbatis, Walteri Laudunensis Abbatis, S. Gerlandi Floressiensis Abbatis, S. Henrici Viriacensis Abbatis. Actum est hoc anno Incarnationis Domini M. C. XLII. Epactæ vigesima Indiitione quinta concurrente tertio V. Idus Octobris.

## ANNO 1143.

His temporibus floruit Philippus secundus, Bonæ spei (quod Hannoniæ Monasterium esse supra diximus) Abbas S. Bernardo admodum familiaris. Is, ut erat, vir apprime eruditus, atque in sanctorum hominum rebus gestis egregiè versatus, scripsit inter alia historiam vitæ S. Amandi Episcopi Trajectensis. Item S. Landelini Abbatis & fundatoris Monasterii Crispiniensis, quæ Manuscripta Crispini in Hannonia adservantur, estque longè amplior ea, quam Surius Tomo 3. edidit. Scripsit item vitam Sancti Gisleni, Episcopi & fundatoris Cellæ Apostolorum, quod hodie amplissimum est Ordinis S. Benedicti Monasterium, in oppido S. Gisleni apud Hannones. Item in cantica Canticorum.

## ANNO 1144.

Baldvinus Præfectus, Ardensis, Collegium sacerdotum apud Ardam in Præmonstratense Cænobium convertit. Meyerus in *Annalib. Flandriæ*.

## ANNO 1145.

*Alba Augia*, id est, Album pratum, vulgò minor Augia, Germanicè *die Minderon*, olim sedes piorum aliquot Eremitarum; nunc instituti Præmonstratensis magnificum Cænobium apud Rauensburgum Imperiale oppidum fundatur anno 1145. à Gemfona à *Pizenburch*. Comite Habsburgensi; Hermanno quodam primo ejus loci Præfecto constituto.

Fuit olim utriusque sexus Monasterium, ut cætera ferè Præmonstratensia, à primæva institutione fuisse supra diximus: sed successu temporis ad vitanda scandala Monialium, locus *Messenthal* dictus, exclusis fœminis alios in usus est conversus.

Plurima postmodum beneficia in hoc Monasterium Rudolphus I. Imp. anno 1282. contulit. Casparus Bruschius in *Cat. Monast. Germaniæ*, ubi & hujus loci Præfectos invenies recensitos.

Anno eodem Spansbartum, Diæcesis Ratisbonensis Cænobium præpotens, in superiore Palatinatu, inter *Kemmatum* & *Preßatum*, Palatini Electoris oppida fundatur ab Adelfolco Reiffenbergio, ejusque conjuge Richinza & Reinoldo ac Gerardo Adelfolci fratribus. Bruschius *ibidem*.

Libet



Libet hoc loco celebrare & *Laurissam*, celeberrimum olim Germaniæ in agro Wormatiensi Monasterium. Est illud constructum à Carolo Magno Imp. sive, ut alii volunt, à *Pipino*; in quo *Tassilo* Baviaræ Dux ob fidem violatam una cum filio *Theodone* à *Carolo Magno* inclusus fuit. A prima institutione traditum fuit Monachis Benedictinis, postea verò Præmonstratensibus. Testatur *Münsterus*, hoc in Monasterio vetustissimam fuisse Germaniæ Bibliothecam; in eaque vidisse se exemplar antiquissimum, quod manu *Virgilii* scriptum titulus præmonebat. Hoc constat (ut & idem *Münsterus* fateatur) hic ultimum *Ammiani Marcellini* librum repertum esse; posteaque typis editum. Scribit item *Erasmus* ex hac *Laurissensi*, sive *Lorsensi* Bibliotheca erutos, quinque posteriores *Titi Livii* libros: qui hodie passim exstant.

Cæterum *Joannes Dalburgius*, Wormatiensis Episcopus inde ad Bibliothecam *Ladenburgensem* meliores quosque Codices post transfudit; *Teste eodem Münstero*.

Anno circiter 1145. Monasterium *Windpergensis*, ultra Danubium fluvium Bohemiam versus, fundatur ab Alberto Comite à *Pogen*: ut ex diplomate *Eugenii* Papæ III. super fundatione ac Privilegiis anno 1146. dato, colligi potest, quod testatur ipsum fundatorem jam tum fuisse defunctum. *Hundius in Metrop. Salisburgensi* & *Servatius Larueltz in Indice Monasteriorum Ordinis Præmonstratensis*.

## ANNO 1147.

*Welpbo* Dux Spoleti, Lycationum & Ambronum Comes, *Henrici* Baviaræ & Saxoniarum Ducis frater, Monasterium *Steingadense* apud *Rhetos* an 1147. exædificavit Monachis ex *Rotensi* Cænobio à venerabili *Odinone*, dicti loci Abbate eodem missis. *Hundius in Metrop. Salisburg. Aventinus lib. 6. Annalium. Bruschius libro citato in descriptione Rotensis Monasterii, & Servatius Larueltz in Indice Monasteriorum Ord. Præmonstrat.*

## ANNO 1151.

*Bartholomæo* Laudunensi Episcopo anno Episcopatus sui 38. *Fusnaci* monasticam vitam amplectenti. Anno 1151. sufficitur in Episcopatu *Walterus* Abbas S. Martini Laudunensis, cujus supra meminimus non semel. *Continuator Sigeberti*.

*Aluifo* Atrebatensi Episcopo, qui una cum *Theodorico* Flandriæ Comite in terram sanctam, ad sacram expeditionem profectus erat, Philippopoli in Macedonia, anno 1148. defuncto, *Godeschalchus* natione Brabantus, Abbas Montis S. Martini ad caput *Scaldis* fluvium, Diœcesis *Cameracensis* anno 1151. in Episcopatu sufficitur. *Idem*.

## ANNO 1152.

*Leffla*, vulgò *Leffia*, sita est apud *Dionantum*, ditionis *Leodicensis* oppidum. Traditur autem S. Maternum, *Tungrensium* Episcopum, B. Petri Apostoli discipulum, Ecclesiam *Leffliensem* consecrasse anno 122. Atque in ea quidem primò resederunt *Virgines* Moniales; deinde *Canonici* sæculares: Anno verò 1152. in ea à *Gerlando III.* Abbate *Floressiensis* *Canonici* *Regulares* Ord. *Præmonstratensis* sunt collocati. Qui quidem annos 48. sub regimine *Abbatis* *Floressiensis* permanserunt. Anno namque 1200. *Joannes* Abbas V. *Floressiensis* proprium *Leffliensibus* *Abbatem* dedit, *Dominum Wericum* *Canonicum* *Floressiensem*.

Est autem *Leffliæ* vetus *Deiparæ* imago, à multis retro sæculis ad hæc usque tempora miraculis quàm plurimis illustris. Unde & locus hic à multis vocatur, *Monasterium B. Mariæ Leffliensis miraculosæ*; quod hodieque ob miraculorum gratiam à multis frequentatur. De *Leffliensis* Ecclesiæ statu exstant hi versus antiqui:

*Lefflia Lenistua, cui cælitus affluit omen*  
*Fulgida miraculis, virtutum nobile fomen*  
*Traxit ab antiquo præclarum tempore nomen,*  
*Culminibusque tribus ornata domus Moniales*  
*Primitus hæc habuit, post Canonicos Laicales*  
*Demum claustrales albos indomine, quales*  
*Fundans; præficitur ejus Floressia fundo*  
*Centies undeno, quinquagenoque secundo*  
*Anno, successu fratres comitante jocundo;*  
*Nam domus hæc fuerat valdè in nihil ante redacta,*  
*Ast anno Domini per eos Abbatia facta*  
*Bis sexcentesimo fuit ad sua jura retracta.*

Atque hæc quidem hausimus ex monumentis Ecclesiæ *Leffliensis*; Itemque ex *Petra Harentalio*, in Catalogo manuscripto *Abbatum Floressiensium*.

*Collect. Script. Monast. Tom. VI.*

(H)

ANNO



ANNO 1153.

Venerab. *Walterus*, Laudunensis multarum fundator Abbatiarum Ord. Præmonstr. migrat ad Dominum, & Præmonstrati sepelitur; ubi quondam pro Christo paupertatis habitum assumpserat. *Continuator Sigeh.*

Anno eodem ex hac vita ad Dominum migravit *B. Bernardus* Abbas Clarevallensis, qui ut *B. Norberto* in vita admodum familiaris extiterat, sic & de *S.* viro præclara posteris reliquit testimonia; quæ quidem visum fuit huic Chronico nostro intexere. Epistola itaque VIII. ad Brunonem Archiepiscopum Coloniensem sic scribit.

*Habetis Dominum Norbertum, quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis. Nam tantò vir ille in divinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quantò & Deo proprior esse cognoscitur.*

Item Epistola 56. *Quod à me de Domino Norberto sciscitami, si videlicet Hierosolymam iturus sit, ego nescio: nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de celesti fistula, ore videlicet ipsius plurima haurire meruerim: hoc ab ipso non audivi. Verùm de Antichristo, cum inquirerem, quid sentiret, durante adhuc ea, quæ nunc est, generatione, revelandum illum esse certissimè se scire protestatus est.*

Item Epistola 126. *Quis revocabit? Dei esse judicium senserunt, & consenserunt Gualterus Ravennas, Hildegarius Tarraconensis, Norbertus Magdeburgensis &c. Horum gloria specialis, & præcipua sanctitas & auctoritas etiam hostibus reverenda, facilè nobis, qui minorem & meriti & officii tenemus locum, aut errare secum, aut sapere persuasit. Hactenus Bernard. Vide ejusdem Epistolam ad Abbatem Præmonstratensem, quæ est 251.*

*David* primus ejus nominis Rex Scotiæ vir pientissimus, anno eodem obiit, qui præter alia 13. diversorum institutorum cænobia apud Scotos constructa, & illustre unum Ordin. Præmonstrat. Monasterium ad *Novum castrum* exædificavit. Fuere autem plurima hujus instituti inter Scotos cænobia, quæ ad suam usque ætatem viris religiosissimis plena fuisse testatur *Hector Boethius*, Scotorum Historiæ lib. XII. Floruit autem Boethius anno 1526.

ANNO 1155.

*Joannes Leslæus* Episcopus Rossensis, in sua Scotorum historia, ait Davidem hunc obiisse an. Christi 1155. regni vero 29.

Monasterium, quod *Brancalanda* vulgò nuncupatur, in honorem *S. Nicolai* Episcopi constructum est, anno 1155. fratribus Monasterii *S. Judoci in Nemore*, primùm disciplinam hic instituentibus.

Est autem *Brancalanda* sita in Normannia, regni Galliæ Provincia, in Diœcesi Constantiensi.

Est & in Anglia ejusdem nominis Monasterium Præmonstratense.

Eodem anno in *Castello S. Martini*, ad Scarpum fluvium apud Mortaniam, secundo à *Tornaco* Nerviorum milliari, Canonici Præmonstratenfes sunt constituti, Radulpho primo Abbate electo.

Habitarunt enim antea hoc in loco seu Benedictini, seu Canonici sæculares, jam inde ab anno Christi 870. hic collocati dotatique, ut pro Christianis eodem in loco à Wandalis, Normannis, Danis, cum Belgiam vastarent, occisis, apud Deum intercederent. Floret autem hodieque Monasterium hoc, nostroque seculo multis auctum est ædificiis, vulgò *Castenau C' Abbatie*, seu Castellum Abbatiale nuncupatum.

ANNO 1156.

Sancti *Justi* Monasterium fundatur anno 1156. in honorem *S. Justi* Monachis ex *Nemore Sancti Judoci* Cænobio evocatis.

ANNO 1157.

Fundatum est hoc anno in Westphalia, nobite Monasterium *Wedinckbaufense* quod & *Arnsbergense* nuncupatur à vicino oppido *Arnsberga*: Cujus & aliorum Norbertini ordinis, illo in tractu Monasteriorum originem ac statum, habe ex litteris *R. P. Christophori Pilemanni*, Bonnensis, ad *R. P. Jacobum Mollanum* datis: *In Westphalia præcipuum nostri ordinis Monasterium est Cappenberg, cujus fundator exstitit quidam generosus, nec minus religiosus Comes Westphaliæ, nomine Godefridus, qui ipsius D. Norberti prædicatione excitus, & zelo devotionis inflammatus, uxorem juvenculam, nondum prole sæcundatam, in eandem secum traxit sententiam; & pari consensu omnia simul, quæ possederant, ad pedes D. Norberti projicientes, paviter habitu religioso suscepto, se ordini nostro devoverunt, & in eodem sanctissimam vitam ad finem usque duxerunt. Ex illo Monasterio tanquam primario, prodierunt diversa alia, utpote Clarholtz sub dominio Comitum de Bentem, & est Præpositura Canoniorum, sicut & Cappenberg ipsa adhuc Præpositura est, licet omnium aliarum sit mater Ecclesiarum. Item Præpositura dicta Vaerle propè Cæsfeldi in Diœcesi Monasteriensi. Item Præpositura virorum dicta Sceida in Comitatu Marcano.*

Item



Item *Abbatia Wedinghausen dicta, prope oppidum & arcem Arensberg. In hac Abbatia ego nunc pro reformatione commoror, & est sita in amœnissimo loco, & fundata anno salutis humanæ 1157. à Comite Arensbergensi, Henrico dicto: qui & post obitum conjugis suæ Ermengardis, habitum nostrum legitur suscepisse, & religiose vixisse: cujus sepulchrum est in domo capitulari.*

*In hoc Monasterio (sicut meminit vetustus Auctor Cæsarius Heisterbacensis) scriptor quidam fuit Richardus nomine, Anglicus natione: qui plurimos libros in eodem Cœnobio manu propria conscripserat, mercedem sui laboris præstolans in cœlis. Hic cum fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos, tumba ejus aperta, manus ejus dextra tam integra, & tam vivida est reperta, ac si recens de corpore animato fuisset præcisa, reliqua interim carne in pulverem penitus redacta. Satis Deus ostendit in instrumento, quanta fuerit ejus merces laboris in cœlo. Et fuit manus illa asservata in Testimonium tanti miraculi, usque ad tempora Gebhardi Truchsesii, Coloniensis Archiepiscopi Apostatae; cujus improvisus impetus in hunc tanquam vicinam locum, primum desavit, & quævis pia monumenta, absentibus, & in fugam versis fratribus, abstulit & disiecit, ut reperiri vel agnosci non poterint.*

*Sunt & alia Sororum Ordinis nostri Monasteria ut est Olinghausen, Rombeke, Cappelen, D. Catharinæ in Tremonia, & aliud quoddam extra Tremoniam, Westphaliæ oppidum. Hæc ferè R. P. Christophorus Pitkmannus. In literis ex Monasterio Wedinghausensi, postridie Epiphaniæ anno 1604. ad Mollanum datis: qui ad hujus tractus Monasteria reformanda, & ad pristinum religionis florem adducenda, ex Steinfeldensi Monasterio in Westphalam id temporis missus erat, & jam nunc ad clavum ejusdem Steinfeldensis Monasterii admotus, non minus exteris, quàm suis carus est.*

## ANNO 1158.

Venerab. Milo Morinensis Episcopus XXX. cum an. 27. laudatissimè præfuisset, piè in Domino obdormit anno Christi 1158. ut vult Iperius in Chron. Bertinensi: sive ut habet Catalogus manuscriptus Episcoporum Morinensium anno 1159. Id Jul. non sine opinione sanctitatis: ut cujus ad tumulum patrata etiam miracula appareat ex monumentis Monasterii S. Judoci in Nemore. Exstat enim ibidem in veteri manuscripto volumine Epist. à Clerico Can. quondam Morinensi, ad dicti loci (cujus ante Episcopatum Milo annis decem Abbas fuerat) Abbatem ac religiosos olim scripta: cujus exemplar, ut benignè nobiscum R. P. Michael Chierius, Dom. Martinensis Abbas communicavit, ita & fideliter hic exhibere est congruum.

**D**ilectissimo Domino suo Adæ: Dei gratia Abbati S. Judoci, cunctisque, qui cum eo sunt, fratribus N. Servus eorum & amicus salutem in Domino Rem præclaram, & omni dignam memoriam, cunctisque sanctæ matris Ecclesiæ prædicandam filiis, cælesti dignatione nobis Tervanæ nuper ostensam, vestræ sanctitati tacere non possum; ob hanc ipsam causam tenerius amplectens miraculum, quod sanctæ recordationis Domini mei Milonis Episcopi non tam præcibus & meritis, sed manibus creditur accidisse. Erat sanè mulier apud nos pauperula, nota scâs, tanquam ostiatim, & penè quotidianum quærens victum, quæ per quatuor & amplius annos corporeo privata lumine, cum omni hujus vitæ temporalis, præter parvulum filium, quo duce utebatur, careret solatio, nocte proxima post Kalendas Aprilis anno Domini 1163. jacentem in cubiculo, somnoque exortatam, grandis & admiranda Dei revisit eam clementia. Cum enim in quodam Ecclesiæ nostræ loco super arcam, quæ in eo est, jacere sibi videretur, astabat ei quædam quasi virgo, ætate juvencula, sed statura sublimis, decora valde, & aspectu gratissima, vestibusque ornata candidissimis, quæ blando illam paululum assata sermone ad sepulchrum, quod propinquum esse videbatur, manu apprehensa deduxit, & cum supereminenti lapidi eam imposuisset: Esto, inquit, in hoc loco. Mulier igitur expergefacta, dulci recordatione diu delectata visionis, tandem adsumpto parvulo duce, Ecclesiam adivit, cumque in quo jacuisse meminerat, nacta locum, humique prostrata, supplex & humilis non minimum tempus in oratione peregit. Cumque post orationem ad locum, in quo stare iussa fuerat (erat autem sepulchrum Domini mei Episcopi) sese duci postulasset, & perducta, flexisque genibus lapidi superincumbens, preces ex intimo pectore fundens ad Dominum, tandem orando fatigata obdormivit. Est autem, dum dormiret, lapis ille, cui pectore subiacebat, visus ei elevari, simulque venerabilis quidam senex, ætate quidem confectus, sed quadam, ut ei videbatur, reverenda præditus majestate exibat de tumulo, qui astante virgine, quæ mulieri primum apparuerat, utraque manu faciem illius suavissimo tactu fovebat, ac deinceps subtili & mundo accepto linteamine caligantes exteris oculos. Excusso itaque somno, inopinato stupefacta gaudio, auctorem lætitiæ Deum ac sanctam ejus genitricem semel & iterum ac sæpius invocare cepit, sed ab ignorantibus & illam delirare credentibus tacere coacta, rursus obdormivit. Post modicam autem moram, cum in altari B. Virginis Missa celebraretur, illaque ab eo loco, in quo sanata fuerat, compelleretur recedere. Quid me, inquit, abigitis, ego sum quidem pauperula, quæ longo tempore orbata lumine, jam per Dei gratiam, & sanctæ matris ejus auxilium curata sum, & video. Exiit ergo sermo iste inter fratres nostros, qui ad officium Missæ celebrandum convenerant, sed & per totam



civitatem celeriter in populum diffusus est, omnesque cum strepitu magno & immensa letitia, plerisque lacrymas præ gaudio fundentibus, ad Ecclesiam festinantes, ad sepulchrum Domini Episcopi cum tanta frequentia, tantaque sunt animi devotione congregati, ac si eum resurrexisse atque in carne vivente adspectum venissent. Nonnullis vero de fratribus temerè fidem adhibere nolentibus, cum in Capitulo super hoc deliberatum convenissent, factaque de eventu rei diligenti inquisitione, veritas certissimè deprehensa fuisset, pulsatis illic cunctis in testimonium letitiæ campanis, in laudem Dei unanimiter adstiterimus. Te Deum laudamus cantantes in sublimi gratiarum actiones referentes altissimo, magnificantes Deum cultorem mundi, & B. Virginis non prætermittentes præconium: quæ se ministram operis præbuerat, nec illius meritum obiti prædicare, qui clausos diu oculos exterserat dormientis. Nunc autem, quia vos oportet nostræ participes esse jucunditatis, rem, sicut gesta est, transmittere vobis decrevi: ut & vos glorificetis Deum, qui fecit magnalia coram oculis nostris qui admirabili virtute sua cæcos illuminavit oculos; cujus potestas & charitas hic & ubique nunc & in æternum permanet per infinita seculorum secula. Amen.

Albero Episcopus Virdunensis (de quo supra diximus anno 1130. cum annos 28. Ecclesiæ suæ laudatissimè præfuisset, & Lothario II. ac Conrado III. Imp. ab intimis semper consiliis fuisset, Episcopatu se abdicavit anno 1156. relictoque sæculo, Ordinis Præmonstratensis habitum in Monasterio S. Pauli à se ex Benedictino in Præmonstratense converso apud Virdunum adsumpsit: ubi biennio ferè exacto in Domino pientissimè obdormivit anno 1158. Richardus Wassenburgius lib. 4. de Antiq. Galliæ Belgicæ.

Pro Alberone defuncto S. Bernardus, Abbas Clarevallensis cum Missam cantaret, mutasse Collectam, ut vocant, defunctorum, in Collectam Confessorum traditur. Ant. Cemocharis lib. de sacrificio Missæ in tabulis Episcoporum Virdunensium.

## ANNO 1159.

Otto Frisingensis Episcopus filius Sancti Leopoldi Marchionis Austria, Seeßarnensis, & Novæ Cellæ Ordinis Præmonstratensis Cænobiorum fundator, & familiæ Norbertinæ fautor egregius, obiit Morimundi. 1159 Scripsit rerum ab origine mundi ad sua usque tempora gestarum libros VIII. Et de gestis Frederici I. Imp. libros duos. Hunc fratrem uterinum fuisse Conradi Imp. quem in Asiatica expeditione est secutus, ait Guilielmus Tyrius Historiæ belli sacri lib. 17. cap. 1. Hundius tamen in Metropoli Salisburg. Et Bruschius in Catal. Monasteriorum Germaniæ, ubi Novam Cellam describunt, ajunt fratrem ejus Conradum nomine Archiepiscopum Salisburgensem fuisse.

Mortuo venerabili Milone, Episcopo Tarvanensi electus est Milo ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus. Ant. Demochares lib. de sacrificio Missæ in Tabulis Episcoporum Tarvanensium, & auctor Catalogi manuscripti, Episcoporum ejusdem urbis, vocant Milonem seniore, hujus Milonis Junioris patrum. Iperius in Chronico manuscripto Bertinensi, hæc de utroque Milone breviter refert. Anno Domini c10. 15LVIII. Dominus Milo Morinensis Episcopus, vir vitæ venerabilis & religionis amator, postquam sedem Morinensem rexerat annis XXVII. migravit ad Dominum. Cui successit Milo Archidiaconus Monachus B. Mariæ de Bosco. Hactenus Iperius. Est autem Monasterium B. Mariæ De Bosco, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, quod Zusiavuille aliàs dicitur.

## ANNO 1160.

Est verò Milo junior consecratus Episcopus anno 1160. prid. Non. Januariæ ab Alexandro III. Pont. Max. in civitate Anagnia. Causa autem professionis ad Rom. Pontificem hæc fuit, quod Bononienfes à Samfone Remorum Archiepiscopo peculiarem sibi Episcopum dari postulantes, à veteri se Morinorum Ecclesia subducere conarentur. Quod tamen summus Pontifex fieri non permisit. Meyerus in Annalibus Flandriæ. Obiit autem Milo iste XVIII. Kal. Octob. anno 1169.

Eodem anno Monasterium Falesianum, in diœcesi Sagiensi exstruitur in honorem S. Joannis, Canonicis ex Nemorensi S. Judoci cænobio venientibus.

## ANNO 1162.

Monasterium Lucernense, apud Normannos in honorem SS. Trinitatis ædificatur, Monachis S. Judoci Nemorensis disciplinam Norbertinam ibidem instituentibus.

## ANNO 1163.

Monasterium Horti B. Mariæ in pago Hallamensi, sesquimillari à Leovardia Frisiæ occidentalis metropoli fundatur, atque extruitur à B. Friderico, ejus loci parochi, adjvantibus & subsidia conferentibus nobilibus matronis Sivera, Marchelæ & Gertrude Camminga.

Solitus



Solitus erat Fridericus Cœnobium *Insule B. Mariæ*, in diœcesi Ultrajectina, apud Neomagum situm, frequentius accedere: cujus loci Monachorum pietate permotus, ipsam Ord. Præmonst. disciplinam amplexus seculo & Pastoralis se cura abdicavit, habitumque ejusdem ordinis, & facultatem Monasterii construendi, à *Godefrido* Episcopo VI. trajectino accepit. Quò factum est, ut mox sese plurimi B. Viro in disciplinam traderent: Quos inter *Tadeco*, seu *Tacho* emicuit, vir eloquio clarus, & concionandi gratia insignis. Is impetrata à Frederico facultate, cùm *Hortus B. Mariæ* nuper institutus, magno numero confluentes discipulos non caperet, aliò se contulit, propriumque Monachorum collegium instituit: ex quo duo postmodum celebria ejusdem ordinis Monasteria sunt enata, unum *Mernense*, Virginum, in ditione Translavicana: alterum *Dockumense*, virorum, ad tumulum S. Bonif. Mogunt. Archiep. & Germaniæ Apost. qui eò loci martyrio coronatus est an. Chr. 754. aut ut aliis placet, an. 752.

Accrescente verò indies Candidatorum multitudine in *Horto B. Mariæ*. B. Fridericus assumpto secum Alardo dicti Tachonis fratre uterino, ad monasterium Steinfeldense in Eyffalia situm se contulit. Ubi rebus cum Præposito communicatis, ordinis instituta omnia impetrat domumque cum Hermanno Priore Steinfeldensi revertit. *Sibrandus Abbas in vita B. Friderici*, & *Sibrandus Leonius in Catalogo manuscripto Abbatum Horti B. Mariæ*.

Cæterum multiplicatis à Paulo IV. Pont. Max. per Germaniam inferiorem Episcopatus, plantatio *Horti B. Mariæ*, ad novum Episcopatum Leovardiensem translata est. Præmonstratanis in Canonicos seculares & Cathedrales commutatis.

Primus autem Leovardiensis Episcopus creatus est *Camerus Petrus*, Brovvershavius, Zelandus, Doct̃or Theologus Lovaniensis: qui multis adversus hæreticos libris editis clarus, Colon. Agrip. obiit 16. Feb. an. 1163. ætatis 49. juxta tres Reges ibid. confectus.

Cæterum de *Horto B. Mariæ*, itemque de *Dockumensi* & *Mernensi* (quod Virginum fuit) monasteriis, vide plura supra ad an. 1126. in descriptione Monasterii Steinfeldensis.

## ANNO 1170.

*Godescalchus* Episcopus Atrebatensis, cùm Ecclesiæ suæ annos ferè decem laudatissimè præfuisset, senio morbisque confectus, vitaque solitariae percupidus anno 1157. Episcopatum reliquit, cessitque *Andræ Parsiensi* Abbati Sarnacensi Ordinis Cisterciensis, atque ad pristinum suum monasterium Montis S. Martini rediit, ubi & obiit anno 1170. præ senio jam oculis captus. *Meyerus in Annalibus Flandriæ*.

Ex monasterio *Horti B. Mariæ* (quod anno 1163. diximus institutum) ad vitanda pericula & calumnias, hoc anno Virginum congregatio à Beato Frederico dicti *Horti B. Mariæ* Fundatore, transfertur ad locum, qui hodieque dicitur *Bethlebem*, haud longè ab Ee fluvio ..... *Annales Frisicæ*.

His verò temporibus floruit *B. Gerlacus* sanctissimus Eremita: cujus sacrum corpus ad nostra usque tempora miraculis illustre adservatur in pago & Monasterio Nobilem Virginum Ord. Præmonstratensis diœcesis Ruræmundensis, quod *S. Gerlaci* vulgò dicitur, in ditione Falckenburgensi, secundo ferè milliari à Trajecto ad Mosam, tertio milliari ab Aquisgrani situm, vitamque ejus & miracula libris duobus conscripsit Canonicus quidam Ord. Præmonst. circa an. Dom. 1250. cujus nomen ignoratur.

Hos libros jussu *D. Henrici Cuckij*. Episcopi Ruræmundensis an. 1600. Trajecti ad Mosam typis evulgavit *Erasmus Gojeus*, Præpositus inclyti monasterii S. Gerlaci. Solet autem *B. Gerlacus* (etsi ut Eremita solitariè in cellula quadam viveret) laneis vestib. uti. i. tunica, scapulari, cappa & cingulo, secundum Ordinis Præmonst. professionem, tam forma, quam colore per omnia coaptatis; ut in historia vitæ ejus cap. 16. dicitur.

De *B. Gerlaco* agit etiam *Molanus* in *Natal. Sanctorum Belgii* ad diem 5. Januarii.

Liceat porrò mihi hoc loco statum monasteriorum Hispaniæ explicare; utpotè paucis fortasse in reliqua Europa notum. Florent hodie in Hispania quindecim circiter hujus ordinis virorum monasteria, videlicet, *Retorta*, S. Pelagii monasterium in Serrato, S. *Crucis de Moncon*, *Vitis S. Mariæ Salvatoris*, de ordine S. Mariæ de hortis, S. *Saturnini de Medina*, *Caritatis*, S. *Spiritus de Avila*, *Aquilar*, *Villa major*, S. *Christophori de Iueias*, *Buxetum*, *Belli podius* ..... & S. *Nicolai monasterium*. Florent item duo Monialium cœnobia, videlicet S. *Michaelis de Gros* & S. *Mariæ de villa aurea*. Olim tamen plura utriusque sexus monasteria fuisse, infra docebo. Ad hæc est hodieque in Academia Salmanticensè insigne hujus ordinis Collegium, seu seminarium; ad quod variis è monasteriis candidati sacris litteris operam daturi, mitti aliqui solent. Cæterum ante annos circiter 40. parum abfuit, quin hujus ordinis universa per Hispaniam monasteria, (quod disciplinam fortassè monasticam minus colerent) Philippo II. Rege consentiente, Hieronymianis monachis in Hispania plurimum efflorescentibus, in perpetuum cederent. Obstite-



runt tamen Abbates aliquot hujus ordinis; qui Romam profecti ad Pont. Max. ab eodem suis in monasteriis reformandis tamen stabiliti sunt. Itaque; reformationis hoc negotium, à Pontifice Maximo commendatum est Reuerendiss. Domino Nicolao Ormaneto, Episcopo Pataviensi; qui legatum Apostolicum id temporis in Hispania agebat: Statutumque inter cætera multis de causis, ut more reliquorum Hispaniæ monasteriorum, Abbatiali titulo gaudentium, tam Benedictinorum, quàm Cisterciensium, non perpetui sed triennales solum Abbates essent, Præmonstratenses. Quo fit, ut trienniis singulis hodie cuique monasterio Abbas novus præficiatur; qui quidem triennii spatio exacto, mox in ordinem redigitur. Notandum autem, hos Abbates Hispanicos triennales non consecrari seu benedici, ut solent Abbates Gallicani, Belgici, alique qui perpetui sunt; nisi fortasè aut ipsi sponte sua cedant, aut ob graves aliquas causas à superiore Præfectura abire cogantur. Univerforum porrò Hispaniæ monasteriorum, communem curam habet Abbas Retortæ idque nonnisi per triennium: quo transacto, mox alius substituitur. Sed & in gratiam Lectoris situm dictorum Hispaniæ monasteriorum indicare operæ pretium duxi.

*Retortæ* quod primarium quasi monasterium est, inter Hispanica huius ordinis sita est in agris ad *Duioum* fluvium, quinto ferè lapide à Vallisoletto, Palatinæ olim diœcesis, nescio, an non hodie Vallisoletanæ. Est enim Vallisoletanis proprius Episcopus datus annis superioribus.

*S. Pelagii* monasterium, in Serrato situm est inter montes, sexto ferè milliari à Palentia urbe nobili, cujus & diœcesis est.

*S. Crucis de Moncon* cognomento monasterium, distat à Palentia tribus circiter miliaribus, diœcesis ejusdem.

*Vitis S. Mariæ* est monasterium illustre, sexto milliari ab Oxomensi urbe distans (cujus & diœcesis est) in agris ad *Durium* fluvium situm, fundatumque ab Alfonso VI. Castiliæ Rege. Dicitur autem *Vitis S. Mariæ*, quod eo in loco inter vites seu uvas idem Alfonso Rex elegantissimam Deiparæ imaginem repererit: quæ hodieque ibidem in magna est veneratione, miraculis etiam illustris.

Monasterium Sancti Salvatoris *de Ordax* in regno Navarræ, duodecimo ferè lapide à Pompejopoli, seu Pompelona situm.

*S. Mariæ de Hortis*, sive Hortense monasterium est in hortis seu pratis situm ad muros *Segoviæ*, veteribus Segobiæ urbis Episcopalis, & pannorum textrina admodum nobilis.

*Sancti Saturnini* de Medina monasterium situm est ad muros Methymnæ, vulgò *Medine Campi*, quod opidum est celebre, medio ferè itinere Salmanticam inter & Vallisoletum. Utrius autem diœcesis sit, certò non habeo dicere.

*Charitatis*, sive de Charitate monasterium loco amœno ad *Gadam* fluvium situm, dimidio ferè milliari distat ad urbe Episcopali, quam *Roderici* civitatem vulgò nominant.

*S. Spiritus de Auila* monasterium situm est ad muros urbis Episcopalis Abulensis, quæ hodie *Avila* dicitur.

*Aquilar*ense *S. Mariæ* monasterium, vulgò *Aquilar*, situm est ad muros opidi Aquilariensis; diœcesis Burgensis, aut Tarroconensis. Ajunt id fundatum iam olim à *Bernardo à Carpio*, celebri illo in Annalibus Hispanicis Duce, ibidem sepulto.

*Villa Major*, monasterium diœcesis Burgensis, nomen habet à pago vicino, cui nomen *Villæ Majoris*. Abest miliaribus septem à Burgensi urbe.

*Sancti Christophori de Iueias* monasterium diœcesis Burgensis, distat ab eadem urbe tribus circiter miliaribus.

*Buxetum*, sive *Buchetum*, *S. Mariæ* diœcesis Burgensis, distat secundo ferè lapide à *Miranda* ad Iberum fluvium, ut arbitrò, sita.

Atque hæc quidem duodecim monasteria, Abbatiali dignitate etiamnum illustra, sita sunt in Castilia seu Castella veteri.

Cæterum *Villa Medianilla*, diœcesis Burgensis, in Castella item veteri sita, olim etiam Abbatia fuit. Hodie est Prioratus, una cum proventibus annuis annexus, collegio Salmanticensi, ante annos quadraginta. Est enim id institutum circa tempora reformationis à R. Domino Nicolao Ormaneto factæ, cujus supra meminimus.

Sic & *S. Pelagii de Arevilla* monasterium (ab Arevilla pago vicino ita nuncupatum) olim Abbatia, nunc est Prioratus diœcesis Leonensis, sive Legionensis, Monasterio Retortæ unitus atque annexus.

Apellant autem ferè Hispani *Prioratus*, quos nos Belgæ *Pastoratus* nuncupamus, id est, Ecclesias, in quibus unus aut plures Religiosi hujus ordinis curæ pastorali præfici solent. Suntque singulis ferè monasteriis Hispanicis (quod de Belgicis aliisque alibi diximus) plures ejusmodi parochiæ seu pastoratus annexi.

Fuit



Fuit verò & *Sancti Leonardi* monasterium olim celebre situm Albæ, quod opidum est quartò milliari à Salmantica, Ducatus titulo insigne. Huius Albæ Dux fuit *Ferdinandus Alvarus*, Toletanus, Galliaë belgicaë olim Prorex: à cuius arce monasterium istud haud longè distitum est.

Hodie tamen Albanæ S. Leonardi monasterium, possident Monachi Hieronymiani: idque ab eo tempore, quo de universis Præmonstratani instituti per Hispaniam cœnobiis eisdem tradendis actum fuisse paulò ante diximus.

Præter hæc jam enumerata monasteria, in Catalogo Averbodiensi (ex quo seriem monasteriorum univèrsi ordinis, ad calcem libri rejectam ferè hausimus) recensentur & duo ista diœcesis Ilerdensis, *Bellipodium*, & *S. Nicolai* monasterium.

*Bellipodium* intelligo Hispanicè nuncupari *Belpontæ* in Catalonia, septimo à Barcinona lapide situm.

Alterum *S. Nicolai* videl. monasterium, ignotum erat illi, quo cum de rebus hisce Hispanicis communicavi. Et dubitatio nobis orta est, an non sit idem cum *Bellipodio* S. Nicolao fortassè sacro. Nihil hic tamen adfero, uti in re valdè à nobis remota.

Præter ista virilis sexus monasteria florent etiamnum eximè in Hispania Virginum Religiosarum cœnobia duo. Prius est *S. Michaelis de Gros* nominatum in Castellæ veteris opido *Tauro*, vulgò *Toro* ad *Duium* fluvium diœcesis Zamorensis situm.

Alterum est monasterium *S. Mariæ de Villa aurea*, vulgò *de Villioria*, diœcesis Alcornensis, Hispanicè, ut arbitror, *d' Orienza*.

Fuisse autem & Virginum non pauca huius ordinis olim per Hispaniam monasteria haudquaquam ambigo. Fidem faciunt vel unius monasterii annales *Vitis* s. *S. Mariæ*. Quod monasterium duos olim Prioratus seu Conventus Monialium sub se habuit, utrumque in *Okomeni* diœcesi situm. Priori nomen fuit *Freznillo de las Donnas*, id est, *Freznillam Dominarum*. Catalogus Averbodiensis *Fratrinellam* vocat. Alter nuncupabatur *S. Michaelis de Bracarot*, in Catalogo Averbodiensi pariter notus. Estque nunc uterque monasterio *vitis S. Mariæ* unitus.

Præter ista fit & monasteriorum *Sanctæ Crucis de Pinofo*, & *S. Mariæ de hortis in castro Bonam*, mentio in catalogo Averbodiensi, iam sæpiùs citato, notaturque Monialium esse. De quibus tamen ut ignotis non est, quod dicam.

Dubitari posset, an *S. Crucis* virile monasterium, de quo supra egimus, non habeat cognomen *de Monron* & *de Pinas*, sive de *Pinofo*, adeoque fortassè sit idem. Atque hæc quidem de Hispaniæ monasterijs haberi mihi Lector. Si uspiam fortè lapsi sumus locorum intervalla facilè nobis abs te veniam impetrabunt.

## ANNO 1171.

*Martalense* cœnobium ad Danubium fluvium inter *Redlingum* & *Ekingum* Austriacæ familiæ oppida, in rupe situm, & magnificis ædificiis conspicuum, ex Canonicorum collegio in Præmonstratense monasterium conversum est anno 1171. & dotatum ab *Hugone III.* Palatino Comite, *Tubingensi*, ejusque conjuge *Elizabetha* Rudolphi Bregantini Comitissæ filia.

Fuit & huic Martalensi cœnobio Monialium, sub Priorissæ, ut vocant, regimine viventium, monasterium olim conjunctum: sed anno 1173. communi Abbatis & Monachorum ejus loci consensu decretum est, nullas amplius fœminas recipiendas aut admittendas esse.

*Ica Casparus Bruschius*, in centuria monasteriorum Germaniæ, ubi Martalenses Abbates seu Præfectos ex ordine recenset. Idem Bruschius tamen, *Rotense* monasterium (de quo supra anno 1128.) describens, ait anno 1170. ex *Roto* ad Martalensem Ecclesiam missos esse Monachos Præmonstratenses.

## ANNO 1173.

*Postula* celeberrimum est hospitale, ut vocant seu viatorum cujuscunque conditionis receptaculum in mediis Campaniæ Brabantinæ ericetis situm; ad quod omnibus & singulis, die noctuque venientibus. Hospitium præbetur, & cibi gratuito suppeditantur. Primus hujus loci fundator fuit *Fastradus Vvovichtius*, vir nobilis; qui prædii sui *Postulani* partem, Ecclesiæ *Floressiensi* dono dedit anno 1173. habitumque religionis post etiam adsumpsit. Accesserunt eodem anno amplæ donationes cujusdam *Arnoldi*, cognomento *Brabanti*. Et *Gellæ* piissimæ cujusdam matronæ. Atque *Arnoldus* quidem & filiam suam *Iuettam*, eodem in monasterio Christo obtulit. Solent namque olim & Virgines sacre *Postulani* hospitalis curam habere, hodieque locus ab ipsis quondam inhabitatus *Begginagium* dicitur. At nunc soli viri Religiosi, *Postulano* in cœnobio agunt, iique numero ferè quinque *Floressiæ* monasticen amplexi. Quorum quatuor divinum officium



assiduè peragunt, unusque eorum Prioris titulo gaudet. Quintus verò Provisor seu magister domus Postulanæ dicitur: ad quem honorum temporalium spectat procuratio. Solet is, à Floressiensi Abbate nominari, oblatuque Brabantiae Duci, ab eodem confirmari.

## ANNO 1174.

Gerlandus natione Germanus tertius Abbas Floressiensis, monasterium suum cum spiritualibus tum temporalibus bonis mirificè auxit. Nam præter *Postulam Harlemundam & Vanziam*, aliasque Villas, Ecclesiam quoque *Leffliensem* acquisivit; quæ post sui juris facta, proprium accepit Abbatem; ut infra suo loco dicemus. Cæterum *Gerlandus*, cum religiosè atque industrie annos ferè triginta sex præfuisset. Obiit XII. Kalend. April. 1174.

Successit illi *Hermannus*, itidem Germanus, summus religionis amator. Hujus Abbatibus tempore anno scilicet 1176. novæ salutarium fontium scaturigines, haud procul à porta Ecclesiæ majoris, quæ tum ædificabatur, divinitus, ut apparet, emanarunt: è quibus potantes ægri plurimi sanitati restituti sunt.

Hujus item tempore, anno nimirum millesimo centesimo octuagesimo octavo, oppido Namurcensi, & arce à Balduino Hannoniæ Comite expugnatis Floressiense monasterium ferro flammaque magna ex parte vastatur, fratribus annum unum & menses sex, per diversa loca dispersis.

Pòst revocatis fratribus, Ecclesia à *B. Isfrido Raseburgensi* Episcopo reconciliatur consecratis in ea die uno altaribus septem. Præfuit autem *Hermannus* annis ferè viginti. *Petrus Herentalius in Catalogo manuscripto Abbatum Floressiensium.*

## ANNO 1175.

Beatus *Fridericus* Horti B. Mariæ apud Frisios fundator, & primus Abbas, cum annos 14. præfuisset, in Domino obdormivit Nonis Martii anno 1175. multis virtutibus miraculisque in vita & post obitum illustris. Conditus est in sacello S. Mariæ, ab ipso exædificato, ubi sepulchrum ejus luminaribus accensis aliisque piis officiis honorari olim solet.

Vitam ejus conscripsit *Sibrandus* sextus loci ejus Abbas: quæ apud nos, & alibi est manuscripta: cujus quidem compendium extat apud *Ioannem Molanum* in Natalibus SS. Belgii, & apud *Franciscum Harecum*, in appendice ad vitas sanctorum abs se editas.

## ANNO 1177.

Hoc ferè tempore vivere in terris desit *B. Evermodus*, Raseburgensis Episcopus, qui ex Præposito Ecclesiæ B. Mariæ Magdeburgensis, secundus ejus urbis Episcopus creatus, institutum Præmonstratense Raseburgum primus attulit, constructoque monasterio, ipsum institutum Episcopali cathedræ velut annexuit; adè ut ad majorum nostrorum usque tempora, nemo nisi Præmonstrataneæ familiæ Canonicus ad Episcopatum so-leret adsumi. De sancta hujus Pontificis Vita miraculisque, vide *Albertum Kranzium* in sua Metropoli lib. 6. c. 28. Et in *Wandalia* lib. 5. c. 42. & *Helmodum* in historia Slavorum, ubi vitam *Vicilini* describit. Illud porrò ex *Kranzio* hic annotare libet, accidisse aliquando, ut cum sanctus hic Antistes inter mysteria divina, chirothecas pontificales festinanter seposuisset moxque illas quærens non invenisset, locique in quo posuisset sacris intentus non meminisset, eas ipsas in aere sine adminiculo aut ope cujuspiam pendentes repertas esse magna cum adstantium admiratione & stupore.

Itemque factum aliquando, ut cum *Frisii* ab *Henrico* Comite Raseburgensi capti, pro quorum dimissione frustra intercesserat, in Feste Paschæ catenis vinciti sub custodia in Ecclesia astarent, eos à vinculis absolveret, aqua lustrali cum cæteris fidelibus, ipsos adspargens, dicensque Dominus solvit compeditos. In cujus miraculi fidem catena ipsa, qua vinciti fuerant, annos plurimos asservata est.

Fuit autem hic *Evermodus*, ex Primis B. Norberti sodalibus, qui sancto viro *Cameraci* concionante, illi se adjunxit, atque individuus ipsi comes ad extremum usque vitæ spiritum adhæsit. *Uti patet ex cap. 20. Vitæ S. Norberti.*

*Evermodo* in Episcopatu Raseburgensi successit *Iffridus*, qui ut ejusdem fuit instituti Præmonstratensis, sic nec virtutibus nec miraculis inferior; plurimumque in *Wandalis* ad religionem Christianam convertendis exemplo sui prædecessoris adlaboravit.

Fertur is cæco visum aliquando restituisse, aquam in vinum divinitus versam ejus in usum fuisse. Horum Beatorum Antistitum *Evermodi* & *Iffridi* reliquiæ in *Odejo* (vulgus chorum nuncupat) in capsâ quadam honorificè adseruari solent. *Kranzius c. 40. l. 6. suæ Metrop.*

*Alexander III.* Pontifex Max. Ord. Præmonstr. leges, seu statuta universa amplo diplomate anno 1177. confirmavit; cujus hic exemplar, ut paucis hætenus fortè visum apponam.

ALE-



ALEXANDER SERVUS SERVORUM DEI DILECTIS FILIIS  
HUGONI ABBATI PRÆMONSTRATENSI, ET CÆTERIS ABBATIBUS,  
CANONICIS PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS TAM PRÆSENTIBUS, QUAM  
FUTURIS RELIGIOSAM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

**I**N Apostolica sedis specula, quanquam immeriti, providente Domino constitui, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, & ea sincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, ad virtutum spectant ornatum, quatenus Religiosorum quies, ab omni perturbatione secunda, & à jugo mundanae oppressionis servetur illæsa, cum Apostolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo Religio & ordo vester multa resurgens gloria meritorum, & gratia redolens sanctitatis, palmite suos à mari usque ad mare extenderit, ipsum ordinem & universas domos ejusdem ordinis, Apostolica protectionis præsidio duximus conservandas, & præsentis privilegio muniendas. Ea propter dilectissimi filii in Christo Domino, vestris justis postulationibus benignius annuentes, universas institutiones & dispositiones, quas de communi consensu vel majorum & saniorum partium rationaliter fecistis, sicut inferius denotatur, auctoritate Apost. roboramus, & præsentis patrocinio communitimus, videlicet ut ordo Canonicus, quemadmodum in Præmonstratam Ecclesiam secundam regulam B. Augustini, & dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstratensis Ordinis Institutoris, & successorum suorum in candido habitu constitutus esse dignoscitur, per omnes ejusdem ordinis Ecclesias temporibus inviolabiliter observentur, & eadem penitus observantia iidem quoque libri, qui ad divinum officium pertinent, ab omnibus ejusdem ordinis Ecclesiis uniformiter teneantur: nec aliqua Ecclesia vel persona ordinis vestri adversus communia ipsius ordinis instituta, privilegium aliquod postulare vel obtinere audeat quomodolibet retinere. Nulla etiam Ecclesiarum ei, quam genuit, quamlibet terreni commodi exactionem imponat. Sed pater Abbas curam de profectu tam filii Abbatis, quam fratrum domus illius habeat secundum ordinem corrigendi, quæ in ea noverit corrigenda, & illi ei tanquam Patri reverentiam filialem humiliter exhibeant. Abbas autem Præmonstratæ Ecclesiæ, quæ mater esse dignoscitur, aliarum non solum in illis Ecclesiis, quas instituit, sed & in omnibus aliis ejusdem ordinis & dignitatem & officium patris obtineat, & ei ab omnibus tam Abbatibus, quam fratribus debita observantia impendatur. Præterea omnes Abbates vestri ordinis singulis annis ad generale capitulum Præmonstratum postposita omni excusatione, conveniant; illis solis exceptis, quos à labore viæ corporis retardaverit infirmitas; qui tamen idoneam debebunt delegare nunciam, per quem necessitas & causa remotionis suæ capitulo valeat nunciari. Hi autem, qui in remotioribus partibus habitantes, sine gravi difficultate singulis annis se nequeunt capitulo præsentare, in eo termino conveniant, qui in ipso eis Capitulo fuerit constitutus. In quo nimirum Capitulo, præsentante Abbate Præmonstratensi, cæterisque confidentibus, & in spiritu Dei cooperantibus, de his, quæ ad ædificationem animarum, ad instructionem morum, & ad informationem virtutum, atque incrementum regularis disciplinæ spectabunt, sermo diligens habeatur. Porro de omnibus questionibus & querelis tam spiritualibus, quam temporalibus, quæ in isto Capitulo proposita fuerint, illud teneatur & observetur irrefragabiliter, quod Abbas Præmonstratensis cum his, qui sanioris consilii & magis idonei apparuerint justè ac providè judicabit. Sanè si Abbas aliquis vestri ordinis infamis & inutilis, aut ordinis sui prævaricator inventus fuerit, & per patrem suum Abbatem prius, aut per nuncium ejus admonitus suum corrigere & emendare delictum neglexerit; aut cedere, si amovendus fuerit, auctoritate generalis Capituli deponatur, & depositus sine dilatione ad domum, unde exiit, seu ad aliam ejusdem ordinis, quam elegerit, revertatur, in obedientia Abbatis, sicut cæteri fratres ipsius domus, firmiter permansurus. Id ipsum etiam alio tempore sineesse fuerit, & capitulum sine scandalo vel periculo expectari nequiverit, per Abbatem Præmonstratensem, & patrem Abbatem, & alios Abbates, quos vocaverit, licebit. Quod si depositus in se datæ sententiæ contumaciter contraire tentaverit, tam ipse quam Principales ejus, qui de ordine vestro fuerint, in sua contumacia fautores ab Abbate Præmonstratense & cæteris Abbatibus censurâ Ecclesiasticâ, donec satisficiant, coercentur. Verum cum aliqua Ecclesiarum vestrarum Abbate proprio fuerit destituta, sub patris Abbatis potestate ac dispositione consistat & cum ejusdem consilio qui eligendus fuerit, à fratribus eligatur. Electus autem, non quasi absolutus à potestate patris Abbatis vel ordinis sui, Archiepiscopo vel Episcopo, in cujus diocesi fuerit, præstetur, plenitudinem officii ab eo percepturus; ita tamen quod post factam professionem, Archiepiscopo vel Episcopo, occasione illa non transgrediatur constitutiones ordinis sui, nec in aliquo ejus prævaricator existat. Si quis ex vobis canonicè electus in Abbatem diocesano Episcopo semel & iterum per Abbates vestri ordinis præsentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere, ne Ecclesia, ad quam vocatus est destituta consilio periclitetur, vice & loco Abbatis fungatur in ea tam in exterioribus providendis, quam in interioribus corrigendis, donec aut interventu generalis Capituli vestri, aut præcepto Romani Pontificis seu Metropolitanæ, benedictionem suam obtineat. Cæterum si aliqua Ecclesiarum vestrarum pastoris solatio destituta inter fratres substituendo Abbate discordia fuerit, vel scissura suborta, & ipsi facillè ad concordiam & unitatem revocari nequiverint; Pater Abbas consilio Coabbatum suorum, eis idoneam provideat personam & illi eam sine contradictione recipiant. Quam si recipere contempserint, sententiæ subjaceant quam Pater



Abbas cum consilio Coabbatum suorum in eos duxerit, circumspectione adhibita, promulgandum. Si quæ autem Ecclesiæ Canoniorum alterius ordinis, ad Ordinem vestrum venerint, ad eam Ecclesiam vestri ordinis habeant respectum, in qua vestrum noscuntur habitum assumpsisse. Nulla sanè persona Ecclesiastica pro benedictione Abbatum vestrorum palefridum, aut aliud aliquid exigere, nullus Abbatum vestrorum etiamsi exigatur, dare præsumat; quia & exigenti & danti nota simoniaca pravitas & periculum imminet. Adhæc quia Præmonstratensis Ecclesia, prima mater est omnium Ecclesiarum totius ordinis, & patrem super se alium non habet: sic ad cautelam & custodiam ordinis, per tres primos Abbates, scilicet Laudunensem, Floreffensem, & Cusliacensem statutum est, annua ibidem visitatio fiat, & ad suggestionem eorum in ipsa domo corrigatur, si quid corrigendum fuerit. Quod si Abbas in corrigendo tepidus, & fratres sæpius moniti, incorrigibiles manserint, ad generale capitulum referatur, & sicut melius visum fuerit, consilio generalis capituli, emendetur & sententia in hac parte capituli sine retractatione aliqua observetur. Quoties verò Præmonstrata Ecclesia sine Abbate fuerit, ad illos tres Abbates ejus cura respiciat, & à Canonicis ipsius Ecclesiæ, cum eorum consilio, persona in Abbatem idonea eligatur, ad consilium suum quatuor aliis Abbatibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus pariter advocatis, quos ipsi Canonici provideant advocandos. Liceat quoque unicuique matri Ecclesiæ ordinis vestri cum consilio Abbatis Præmonstratensis, de Abbatibus Ecclesiarum, quæ ab ea processisse noscuntur sibi quemcumque voluerint, si tamen idoneus existiterit, assumere in Abbatem. Personam autem de alio ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in pastorem, nec vestri ordinis aliqua in Abbatem monasterii alterius, nisi de auctoritate Romanæ Ecclesiæ ordinetur. Nulli etiam Canonicos vel conversos vestros sine licentia Abbatis suscipere, aut susceptos liceat retinere. Si quæ verò inter aliquas vestri ordinis Ecclesias de temporalibus quæstio emerferit, non extra ordinem Ecclesiasticam, vel secularis audentia requiratur, sed mediante Abbate Præmonstratensi, & cæteris, quos evocaverit, aut charitative inter eas componatur aut auditis utrimque rationibus, eadem controversia iusto iudicio terminetur. Quia verò singula, quæ ad religionis profectum, & animarum salutem ordinis, præsentis abbreviatione nequiverint amitti, nos cum his, quæ præscripta sunt, consuetudines vestras, quas inter vos religionis intuitu regulariter statuistis, ac deinceps auctore Domino statuetis, auctoritate Apostolica roboramus, & vobis vestrisque successoribus, & omnibus, qui ordinem vestrum professi fuerunt, perpetuis temporibus inviolabiliter observandas decernimus, ad majorem quoque ordinis vestri reverentiam, & regularis discipline observantiam vobis filiis Abbates subiectos prævia iustitia & ratione ligandi & eosdem solvendi penitentia, & satisfactione præcedente, plenam concedimus facultatem, majoribus & difficilioribus criminibus, quæ manifesta fuerint, Metropolitanæ vel Romano Pontifici reservatis. De cætero, quoniam à strepitu & tumultu secularium remoti, pacem & quietem diligetis, grangeas vestras, sicut & atria Ecclesiarum, à pravorum incursum & violentia libera fore sancimus; prohibentes, ut ibi nullus hominum capere, spoliare, seu interficere aut furtum vel rapinam committere audeat. Ob evitandam vero secularium frequentiam, liberum sit vobis (salvo jure diæcesanorum Episcoporum) oratoria in grangiis vestris construere & in ipsis vobis & familiæ vestræ divina officia, cum necesse fuerit celebrare. Prohibemus insuper, ne aliqua persona fratres ordinis vestri, audeat ad secularia iudicia provocare; sed si quis adversus eos aliquid sibi crediderit de jure competere sub Ecclesiastici examine iudicii experiendi habeat facultatem. Præterea sicut à tempore prædecessoris nostri piæ memoriæ Innocentii ex ejus privilegio habetis, nos quoque scriptis auctoritate firmamus, ut de novalibus, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, seu de nutrimentis animalium vestrorum nulla Ecclesiastica secularisve persona decimas à vobis exigere præsumat. Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium, vel cæteras ejus Abbatis & obedientias temerè perturbare; aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus perturbare, sed illibata & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus, omnimodè profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere, de perpetrata iniquitate, cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subiaceat. Cunctis eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Ferrariæ per manum Gratiani Rom. Eccl. Subdiaconi & Notarii, X. Kal. Maji Indict. X. Incarn. Dom. an. 1177. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ tertii XVIII.

## ANNO 1180.

Salvæ Vallis, monasterium in diæcesi Metensi fundatur, fundo ad id concessio à Comitibus Salmæis, & Comitissa Maltilde de Hambourg quod post pagum Bourmontium, omniaque ei annexa, ejusdem cænobii Religiosis cessit, ut testantur ejus loci monumenta. An. 1195. Domina Maltildis de Hambourg Comitissa Abbati & fratribus Salvæ Vallis ibidem Deo & B. Mariæ Virg. servientibus in perpetuum donant pagum quendam, nomine Bourmont. cum appendiciis.

Anno



Anno eodem *Ento*, five Entetus Horti B. Mariæ apud Frisios Abbas II. & B. *Friderici* fundatoris successor hunc ipsum locum mirificè auxit, templumque novum à fundamento extruxit: quod anno insequente *Balduinus*, Episcopus Ultrajectensis consecravit dedicavitque. Obiit autem Entetus anno Præfecturæ suæ octavo Christi 1189. III. Nonas Octobris. *Sibrandus Leonius libro citato.*

Item anno eodem obiit *Sancta Hildegardis* Virgo ordinis Sancti Benedicti, in monasterio S. Ruperti apud *Bingam*, diœcesis Moguntinæ ætatis suæ anno 28. quæ ob vitæ sanctitatem, ac revelationes divinas, ut toto orbe erat celeberrima, sic à Romanis Pontificibus atque Imperatoribus, ab Episcopis & Abbatibus Germaniæ Galliæ atque Italiæ per literas salutata frequentissimè, atque consultata est. Inter alios & Præpositus in *Herde*, Ordinis Præmonstratensis monasterio ad eam literas dedit aliquando, ut & hujus frautricem fuisse appareat *Joannes Tritheimius in Chronico Hirsaug. an. 1150.*

## ANNO 1182.

Vixit hoc tempore in Frisia occidentali *Sibodus*, vir divitiis abundans & celebs: qui spiritu Dei motus cum *Thiallingio* Doniensi ejusdem animi viro primum Canonico-regularium S. Augustini institutum adfectando, post regulam Præmonstratensem amplexus est, ab Enteto Horti B. Mariæ, secundo Abbate veste candida accepta.

Anno itaque 1182. *Sibodus* ad suos reversus, una cum *Ielmario*, quem Entetus illi ut magistrum adjecerat, *Lidlumense* monasterium apud *Franeckeram*, Frisiæ occidentalis opidum hodie situm construxit. Quò quidem multa utriusque sexus turba mox confluit. Sed *Jelmarus* B. *Friderici* exemplum sectatus, ne quid infamiæ aut sinistrae opinionis in sacro oriretur Collegio, novum monasterium, quod *Bajom* vocant anno 1186. Virginibus exstruxit, *Ulbodi* pii viri & *Simke*, matronæ divitis & nobilis præsidio adjutus, quem locum montem S. Michaelis appellavit. Ita *Sibrandus Leonius* in Catalogo manuscripto Abbatum *Lidlumensium*. Annales tamen Frisiæ volunt *Bajomense* monasterium exstructum anno 1188. De *Lidlumensi* monasterio vide infra ad annum 1234.

*Urbanus II.* Pont. Max. libertatem ab Ecclesia Romana Præmonstratensibus indulgentiam quæ à decimis novalium solvendis ipsos eximit, diplomate III. Idus Junii anno 1187. Veronæ dato confirmavit quod & alii post eum Pontifices plurimi fecere; ut *Clemens III.* *Honorius III.* & *Innocentius IV.*

*Sorethum*, vulgò *Schuffenrietum*, à *Schuffio* præterfluente fluvio sic dictum, apud Suevos in diœcesi Constantiensi apud *Aldendorfum* arcem Baronum à *Kingsseck* situm ex arce in monasterium Præmonstratense convertitur, anno 1188. à *Beringero* & *Conrado*, Baronibus à *Schuffenriet*: quorum prior ibidem Monachus ut vocant, Conversus est factus. Primos huc Monachos ex *Alba* seu minore *Augia* misit *Ulricus* à *Tbanen*, Præpositus *Augiensis IV.* *Bruschius lib. cit.*

Fuit primum Præpositura, & in Abbatiam conversa decreto Consilii Basiliensis anno 1441.

## ANNO 1190.

Hoc fere tempore in Westphalia floruit *B. Richardus*, cognomento Anglicus vir eruditissimus, scripsit in Canonem Missæ lib. 1. qui hodieque manuscriptus adservatur in Collegio S. Benedicti Cantabrigiæ. De computu Ecclesiastico libro primo. De Mysteriis sacris lib. 1. Et de vita Sanctæ Ursulæ Virginis, & Martyris libro primo qui in legenda Angliæ jam olim extat excusus. Ita ferè *Joannes Baleus* in Catalogo scriptorum *Britaniæ*.

Videtur idem esse quem in *Arensbergensi* ordinis Præmonst. apud Westphalos monasterio plurima volumina scripsisse, cujusque manum, vigesimo à morte anno, integram atque illæsam, cætero tamen corpore corrupto, inventam esse superius diximus, uti testantur *Casarius lib. 12. Exemplorum cap. 47.* Et *Richardus Palszedus speculi exemplorum distinct. 6. Exemplo 100.*

Cæterum libet hoc loco narrare rem stupendam, quæ *Floressiæ* divinitus accidit. Constantinopoli his ferè temporibus, *Philippus*, Comes *Namurcensis*, frater *Balduini* *Flandriæ* Comitis & Imperatoris Constantinopolitani, attulit magnam partem S. *Crucis* *Dominicæ*, eamque in Ecclesia *Floressiensi* cum aliis reliquiis deposuit.

## ANNO 1204.

Quæ quidem pars S. *Crucis* anno Domini 1204. & 1254. in festo inventionis S. *Crucis*, coram conventu fratrum, & populo villæ *Floressiensi*, stillavit multas sanguinis guttas, quæ panniculis lineis exceptæ in hodiernum usque diem reverenter asser-



vantur. Unde & versiculi isti thecæ argenteæ, in qua dicta pars Sanctæ Crucis honorificè custoditur, inscripti leguntur.

*Hæc crux, quo luxit, nobis bis sanguine fluxit  
Quam scio quod tinxit Christi cruor ac benedixit.*

Hæc Petrus Herentalsius in Catalogo Abbatum Floreffiensium. Addunt monumenta Ecclesiæ Floreffiensis, hanc crucis Dominicæ partem destinatam ac transmissam esse Floreffiam ab Henrico, Balduini & Philippi dictorum Principum fratre, qui adolescens dereliquione ibidem amplectenda aliquando cogitaret. Successit autem hic Henricus fratri suo Balduino in Imperio Constantinopolitano.

## ANNO 1205.

Hoc ferè tempore in Ecclesia Raseburgensi optimo & longævo admodum Pontifici Isfrido subrogatur Philippus: qui prædecessores suos imitatus, magna sanctitatis ac justitiæ laude præfuit. *Krantzius Metrop. l. 7. c. 2.*

Raseburgensi Ecclesiæ, post Philippum Vir insignis Henricus nomine, circa hoc tempus præficatur: nimirum ex fratribus Præmonstratensibus, qui tum fervente nova religione, & ipsi omni devotione fervebant. Sed facit illorum temporum injuria, ut non multa de præstantibus illis viris in literas sint relata. *Ita Krantzius Metrop. l. 7. c. 34.*

## ANNO 1215.

Clemens V. Pont. Max. Abbati Præmonstratensi jus, annulo, mitra cæterisque Pontificalibus insignib, utendi concessit, dato ad id diplomate III. Kal. Iulii, Pontificatus sui anno VIII.

Jacobo Vitriaco, Acconensi in Syria Episcopo, & post S. R. E. Cardinale anno 1216. per Galliam transmarinæ peregrinationis Crucem, ut vocant, prædicante, Helinus VII. Abbas Floreffiensis vir morum probitate ac scientia admodum commendatus, ipsi comes est additus, cum in prædicatione, tum in peregrinatione, idque ex mandato Honorii III. Pont. Max. Quantus autem Helinus iste vir fuerit, ex testimonio à Gervasio Abbate Præmonstratensi, magnæ eruditionis viro, ad Patriarcham Hierosolymitanum dato, licet cognoscere. Cujus hic exemplar ed libentiùs subjungo, quod monasteriorum Præmonstratensium, quæ in Syria olim fuere, disertam faciat mentionem.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI ET DILECTO DOMINO, DEI GRATIA SANCTÆ RESURRECTIONIS VENERABILI PATRIARCHÆ, FRATER GERVASIUS, FRATRUM PRÆMONSTRATENSIVM HUMILIS SERVUS SALUTEM ET CUM ORATIONUM INSTANTIA DEVOTAM AD OBSEQUIA VOLUNTATEM.

## ANNO 1216.

**L**icet sollicitudo omnium Ecclesiarum tam ipsius Præmonstratensis; cui specialiter præsidemus, quàm totius ordinis, cui insufficienter præsumimus, animum nostrum reddat multipliciter occupatum, merito tamen affectu semper de terræ sanctæ destitutione doluimus, & ut viderent oculi nostri diem, quo eam audiremus Christiano cultui restitutam, studiosè, prout permiserunt negotia nostra, qua nec differri poterant nec omitti: interposuimus partes nostras, videlicet aut personaliter disseminando verbum Dei, aut injungendo hoc ipsum fratribus ordinis nostri, quos ad hoc credebamus & superiores vita, & clariores doctrina. Sanè cum D. Papa scripserit venerabili & dilecto fratri Helino Abbati Floreffensi, latiori præsentium, pro suscipiendo ad petitionem Domini Acconensis Episcopi, peregrinationis onere transmarina, laboriosaque peregrinatione suscepta, ad præsentiam vestra paternitatis, accedat: vestra pro eo præminentia supplicamus, quatenus ipsum habeatis in Domino commendatum: utpote virum vita commendabilem, & qui multos labores in terra sua sustinuit, & ad liberandam hereditatem Domini, fidelium mentes exemplo monuit & verbo. Specialiter siquidem vos rogamus, ut cum regratiatus populo suo Dominus, funiculum suæ hereditatis reddiderit, adoratorib. Crucis suæ, possessiones Ecclesiarum nostri ordinis, videl. S. Samuelis, & S. Abacuc: quarum prima est Præmonstratensis, secunda Floreffiensis filia specialis, eidem Abbati restitui jubeatis; ut cum fidelis populus gaudebit, gentium incredulitatem confusam, & terram debito cultui restitutam, nosque eò plenius possimus congraudere gaudentib. quod prædictis reversis ad ordinem, nihil nostro deesse gaudio sentiemus. Concessimus autem memorato Abbati, tam in reconciliandis fugitivis, si opus fuerit, & in aliis omnibus qua ad ordinem pertinere noscuntur, nostra plenitudinem potestatis. Hactenus Gervasius, qui ob eruditionem ac pietatem, cujus utriusque in hac Epistola datur specimen, gratus acceptusque fuit Honorio Papæ III. totiùque Curia Rom. Ad Helinum quod attinet, ubi, aut quo anno obierit, compertum non habemus. Legitur tamen in Lib. obituum, ut vocant, Ecclesiæ Floref.



Floressiensis, obiisse XIV. Kal. Septem. *Hæc ferè ex Petri Harentalsii Catalogo Abbatum Floressiensium desumptum.*

Innocentius III. Pont. Max. universas constitutiones ac privilegia ordinis Præmonstratensis, ab Alexandro III. Lucio III. Urbano III. & Clemente III. Romanis Pontificibus indulta, confirmavit, amplissimo diplomate Viterbii dato VII. Kal. Maji Incarnationis Dominicæ anno 1216. Est autem hoc Innocentii III. diploma idem ferè cum diplomate Alexandri III. supra ad annum 1177. posito.

## ANNO 1217.

*Beatus Radulphus*, Abbas Viconiensis, summus fuit amator & benefactor pauperum, largissimas dans Eleemosynas, qui tamen monasterium suum parsimonia atque industria longè reddidit opulentius. Is anno Præfecturæ suæ septimo, animo & corpori (erat enim jam grandævus) quietem quærens, successorem sibi dari petiit, plenusque dierum & bonorum operum obiit anno 1217. ætatis suæ 90.

Ad tumulum ejus debiles plurimi olim curati sunt, unde & magnus eò confluxus quondam fieri est solitus, hodieque sepulchrum ejus in magna est veneratione non tamen miraculis, ut solet, celebre. Ex quo videlicet sacrum corpus, ad novam Ecclesiam à *Gulielmo Wercinio*, XIII. Abbate anno circiter 1284. ædificatam, est translatum. Legitur autem etiamnum in marmore sepulchri hæc inscriptio:

*Radulphus Abbas. A judiciis tuis timui Domine  
Et infra.*

*Vir fuit hic lenis, parcus sibi, largus egenis.*

Hæc & alia plura de eo habent annales Viconiensis.

*Slagense* in Bohemia monasterium exordium cepit anno 1218. loco à *Kalchoco* milite de *Valckenstein* Præmonstratensibus concessio. Quam etiam donationem *Honorius*, Pont. Max. Et *Rudgerus*, Episcopus Pataviensis confirmarunt. Primus in eo Præpositus fuit *Ortholdus* quidam, ex priore cænobii in *Mileuu*, *Monumenta Slagensia*.

## ANNO 1218.

His ferè temporibus *Nicolaus*, VIII. Abbas Floressiensis, Monialibus in *Wanzia*, vulgò *Wanze*, in agro Leodiensi concessit facultatem horas canonicas publicè cantandi in Ecclesia ejusdem loci. *Wanziam* autem, ut supra diximus, *Gerlandus* III. Abbas Ecclesiæ Floressiensis primum acquisivit. *Petrus Herentalius* in *Catalogo Abbatum Floressiensium*.

## ANNO 1219.

*Reinerus*, nobili familia apud Brabantos patre *Reiffone* ab *Vaeckn* natus, cum ex *Laureta Peruetana* filios quatuor, filiasque octo suscepisset *Pellenbergæ* (pagus est hodie milliariibus duobus à Lovanio distans) in domo propria claustrum & ædiculam exstruxit, & filias suas octo vestibis albis induit anno 1219. in festo Ascensionis Domini, easque cum amplis facultatibus ac bonis ordini Præmonst. dicavit. Quarum quidem Virginum cœtum, post in familiam suam adoptarunt Patres Capituli generalis Præmonstratensis. *Reinero* fundatore id coram ab iisdem Patribus postulante. Datus est igitur Virginibus istis Præpositus & pastor primus *Balduinus* quidam, Canonicus *Tungerloensis*, cui defuncto sufficitur *Aegidius* Canonicus *Ninivensis*. Is anno 1229. *Pellenberga* in locum commodiorem haud longè à *Gempe*, Brabanticæ pago *Lovanium* inter & *Distenium* Monasterium istud Virginum transtulit, ædificiis & sacello ibidem extructis. Ac sacellum quidem eo ipso anno *Jacobus Vitriacus*, Episcopi *Leodiensis* tunc suffraganeus, in honorem *Deiparæ* consecravat.

Anno demum 1252. in festo S. Nicolai prædictum Virginum cænobium, cum viæ publicæ vicinum esset, in locum ab eadem nonnihil distitum, adeoque quietiorem atque amœniorem translatum est ab *Henrico Baculo* cognomento, tunc Præposito ex monasterio *Parcensi* assumpto. Quem quidem locum *Insulam Ducis* hodieque appellant. Templum verò novum anno 1280. demum perfectum, dedicatumque est, Octava Paschæ ab *Arnoldo* tunc suffraganeo *Leodiensi*. *Hæc ferè ex monumentis ejus loci ipsi hausimus.* Agunt autem *Moniales Gempenses* ab anno 1577. in urbe *Lovanien*si, ob temporum iniquitatem, majorum suarum pietatem egregiè æmulantes.

## ANNO 1220.

Circa hoc tempus floruit S. *Gilbertus*, sive *Guilbertus*, Abbas ordinis Præmonst. cujus Festum celebratur 4. Febr. in tota diocesi *Claromontana*, in *Gallia*. Fuit is natione  
*Collect. Script. Monast. Tom. VI.* (L) tione



tione Italus, genere nobilis, qui relictis parentibus, in terram sanctam devotionis ergo peregrinationem instituit. Quam absoluta, cum domum redisset, essetque hæres ex asse, in piis peregrinationibus perseveravit, & monasterium ordinis Præmonstratensis in medijs filvis apud opidum S. Portiani in Arvernia (quod à fundatore hodie S. *Guilberti* dicitur) suo ære extruxit habitumque ejus ordinis accepit: ubi & in Domino obdormivit multis illustris miraculis. Corpus ejus è terra levatum, ibidem in capsâ adservatur. Ostenditur & baculus, quo in Peregrinationibus obeundis usus est.

Multi hodieque religionis ac peregrinationis ergo, ad monasterium istud confluunt, ob frequentia miracula, quæ ibidem contingunt: præsertim circa pueros in utero materno emortuos, qui S. *Guilberti* meritis & intercessione, non raro ad vitam revocantur. Quod anno 1575. mense Majo etiam accidisse, ex fide digno accepimus.

Solent & parentes, quibus pueri ante septimum ætatis annum fortè emoriuntur, proles suas, si quas alias susceperint, eò mittere, ut Deus eas superstitis S. *Guilberti* meritis dignetur conservare. Quo fit, ut quovis ferè tempore pueros in eodem monasterio videas, candidum hujus ordinis habitum diebus novem gestantes. Pro quibus ibidem SS. Missæ sacrificio oblato, ad parentes iidem post salvi redeunt, veste sua candida monasterio relicta.

*Jacobus Atrebas*, Doctor Theologus cœnobii Montis S. Martini diœcesis Cameracensis Abbas vir pius juxta ac doctus, scripsit de Laudibus B. Mariæ Virginis lib. 8. De Conceptione B. Mariæ Virginis Epistolam ad Præpositum, Decanum & Capitulum B. Mariæ Atrebatensis. Responsionum ad quæstiones sibi Præpositas lib. 1. In ultimam visionem Ezechielis lib. 1. De triplici tractu Evangelico lib. 1. ad Eustachium Lensium, Viconiensem Canonicum. Epistolarum volumen unum, Sermones ad populum varios. Floruit anno 1220.

## ANNO 1221.

Obiit vir admodum religiosus *Arnoldus à Svalma*, Canonicus Ninivensis in Flandria qui cum annis ferè 33. Sacerdos parochialis Ecclesiæ opidi Ninivensis fuisset (spectat enim cura pastoralis ejus opidi ad Religiosos Ninivenses) atque in monasterii cœmeterio sepultus esset, miraculis prodeuntibus ad Ecclesiam paræclicalem deferri & ibidem meruit sepeliri *Baldwinus Ninivensis in Chronico manuscripto.*

S. Dominicus ordinis Prædicatorum auctor & Princeps Bononiæ hoc anno in Domino obdormivit. Inter cæteras revelationes, quibus ordo Prædicatorum divinitus est demonstratus, *Theodoricus de Appoldia* in vita S. Dominici lib. 1. c. 12. apud Surium, & *Gerardus Lemovicensis* in vitis Fratrum Prædicatorum parte 1. cap. 2. referunt, venerabilem virum Arafricanum in Provincia Arelatensi Episcopum de dicto ordine prophetasse idque annis aliquot ante ejus exortum. Addit *Theodoricus de Appoldia*, hunc Episcopum fuisse ordinis albi.

Aliis itaque rerum Gallicarum peritioribus excutiendum relinquo, an hic Episcopus Arafricanus, fuerit Præmonstratensis, an verò Carthusiensis ordinis.

## ANNO 1225.

*Eustacbius Lensius*, Doctor Theologus ex monasterii Viconiensis Canonico, Vallis Christianæ & Serenæ Abbas, scripsit Coimographiam Mosis, lib. III. Seminarium verbi Dei, quod ingenti volumine comprehensum, atque alphabetico ordine digestum, recte *Lexicon bellicum* appellaveris. In regulam S. Augustini ad Gervasium Præmonstratensis ordinis primatem. In hymnos ab Ordine Præmonstratensi receptos lib. 1. De metris lib. 1. De mysteriis sanctæ scripturæ lib. 1. De Tropis & Schematibus lib. unum. De significationibus nominum & qualitatibus rerum ex D. Greg. 1. unum. Item tractatum de Trinitate, quem morte præventus imperfectum reliquit. Dum namque huic sublimi meditationi totus inhæret, animam efflavit jam decrepitus, an. 1225. Dicitur & in *Genesim*, *Exodum*, *Deuteronomium* & *Paralip.* commentarios scripsisse. Extant operum istorum pleraque manuscripta apud Viconienses.

## ANNO 1227.

Hoc anno obiit *B. Ivetta* vidua, reclusa, leprosisque serviens apud Hujum ditionis Leodicensis ad Mosam fluvium opidum. Vivebat autem secundum consuetudinem ordinis Cisterciensis, eratque valdè amans fratrum ord. Præmonst. De qua Joannes Molanus ad Ufuardum, & in Natalibus SS. Belgii 13. Januar. Postremam ejus ante obitum confessionem excepit *Joannes Hujensis* nonus Abbas Floressiensis, corpusque ejus honorifice terræ mandavit: cujus etiam jussu, vitam & merita ejusdem Ivettæ prolixè & eleganter conscripsit *Hugo Floressiensis*, Canonicus. Idem quoque vitam *B. Idæ*, Nivellensis Virginis



ginis, Ordinis Cisterciensis in *Ramnia*, Brabantiae monasterio (de qua & Molanus citatis locis) eruditè descripsit. Habeo utramque vitam manuscriptam in antiquo codice, una cum vita *Beatae Idae* Lebbensis, in *Ramnia*, itidem Monialis: quæ & ab eodem Hugone videtur esse conscripta.

Cæterum falsò huic *Hugoni Floressiensi*, à *Zacharia Lippelojo*, in *Tomis* sanctorum à se editis, adscribitur Vita sancti *Norberti*, à *Surio* edita, cum auctor fateatur *Beati Norberti* cœvum se fuisse, uti suprà diximus ad annum millesimum centesimum tricesimum quartum.

Venerabilis *Walterus Quercetanus*, Vir singulari pietate ac doctrina præditus, *Beato Radulpho* (de quo supra diximus anno 1217.) in Præfectura monasterii *Viconiensis* suffectus, illud ipsum multis ædificiis, ac sanctorum reliquiis exornavit. Præfuit annos ferè 13. obiitque anno 1219. Qui cum ad sepulchrum deferretur, tanta lux divinitus immissa defuncti corpus irradiavit, ut Religiosi adstantes, eam vix ferre possent. *Annales Viconenses*.

## ANNO 1230.

*Beatus Siardus V. Abbas Horti B. Mariæ* in Frisia occidentali, ut erat vir sanctissimus, summo in honore per Frisiam est habitus. Fundavit Curiam *B. Mariæ* in *Backe-teen* propè *Trentam*, & annos 36. suis magna vitæ integritate præfuit, migravitque ad Dominum anno 1230. Novembris 13.

Miracula quæ ad ejus sepulchrum ferè infinita contigerunt, à *Sibrando VI. Abbate* literis consignata, habentur manuscripta in *Steinveld.* monasterio diœcesis *Coloniensis* in *Eiffilia*. De *B. Siardo* vide *Molanum* in *Natal. SS. Belgii*.

Tempore *Friderici II. Imp.* in *Tuscia* in monasterio quodam ordinis *Præmonst.* frater quidam viam universæ carnis ingressus, intercessione *Deiparæ Virginis* bis ad vitam rediit, ut vetera sua delicta plangeret atque emendaret. Itaque Cellam sibi in eremo constructam incolens, in eadem vitam egit sanctissimam.

Invisit illum aliquando isthac iter ad Capitulum generale instituens vir quidam venerabilis, Ordinis *Minorum Guardianus Friburgensis*, qui ex eodem multa admiranda, de statu militantis Ecclesiæ de pœnis damnandorum, dequæ gloria *Beatorum* coràm audivit, quæ domum reversus, Patri *Arnoldo*, viro probatissimo (cujus *Thomas Cantipratanus* libr. 2. Apum cap. 57. meminit) fratrum *Prædicatorum* in eadem urbe *Friburgensi* Priori, fideliter enarravit. Hæc desumpsimus ex veteri codice manuscripto de vita *S. Dominici B. Jordani*, & aliorum *Patrum ordinis Prædicatorum*, qui codex *Francofurto* ad *Mænum fluvium*, *Antverpiam* nuper allatus est.

## ANNO 1231.

Obiit *S. Elizabetha* *Andræ II. Hungariæ Regis* filia, & *Thuringiæ Landgravia*: cujus filia *Gertrudis*, uti erat summæ pietatis, *Magistra* sive *Præfecta* fuit monasterii ordinis *Præmonstratensis* in *Aldenburgh*.

Monasterium *Virginum*, cognomento *Vallis liliorum* circa hoc tempus in agro *Machliniensi* piorum eleemosynis construitur, *Monialibus* ex monasterio *Gempensi* (de quo supra dictum) evocatis. Ajunt autem hujus monasterii extruendi occasionem dedisse cantum avium octodecim quæ ex eo loco, ubi est monasterium ædificatum, septies quotidie cantillantes, à sacerdote quodam & *Paræco* *Humbecano* visæ auditæque sint. Quod quidem augurium sic ipse alique interpretati sunt, ut *Deus* septenas ibi horas *Canonicas* sibi quotidie decantari velle videretur. Agunt autem hodie dicti monasterii *virgines*, in urbe *Machliniensi*, ob iniquitatem temporum, suntque ferè semper numero octodecim; quem numerum cum aliquando excessissent, bis terve observatum est, *Priorissam* & *Præfectum* sacerdotem, quem *Præpositum* vocant, quorum consensui factum fuisset, intra anni spatium ex hac vita evocatos esse.

## ANNO 1232.

Hoc ferè tempore mortuo *Henrico*, *Lambertus* ex *Hamburgensi* & *Bremensi* Canonico, creatus est *Episcopus Raseburgensis*: quo paulò post defuncto, iterum sedes *Episcopalis* ejus urbis ad familiam rediit *Præmonstratensem*, *Godescalco* *Ecclesiæ Raseburgensis* *Præposito* ad *Episcopatum* evecto *Krantzius Metrop. l. 7. c. 45.*

## ANNO 1233.

Cæterum cum suavem admodum probitatis ac sanctimoniam odorem *Norbertini* ubique spargerent, factum est, ut non modo privati homines, sed & religiosorum hominum familiæ, sanctissimam eorum amicitiam, bonorumque operum communicationem,



non minus piè, quàm studiofè ambirent. Exemplo sint Patres Dominicani, per Teutoniam id temporis constituti: qui in publico conventu anno Domini, 1233. Præmonstrati à Norbertinis habito, summoperè institerunt; ut ab iisdem in partem bonorum omnium, & quasi hæreditatis admitterentur. Quæ quidem res, quia ad utriusque Ord. & Præmonst. & Dominic. commendationem facit, libet hîc exemplar litterarum ex authographo, quo Antuerpiæ Dominicani adservant, subnectere.

**V**iris Religiosis & amicis charissimis in Christo universis fratribus ordinis Prædicatorum per Teutoniam constitutis, Abbatum Præmonstratensis ordinis Capitulum generale, salutem, & ex semine verbi Dei salutis manipulos reportare.

Quam fructuosus existat labor ille, quàm acceptum Deo & hominibus sacrificium operentur, qui specialiter salutem animarum procurant, & in acquirendis Deo devotis animabus, suum exercitium incessanter impediunt, non erunt omnes, qui Christiani nominis insignia profitentur: unde cum operationis vestræ studium ad hoc præcipuè ac principaliter dirigatur, ut per prædicationis vestræ laborem, peccatores ab errore viæ suæ salubriter convertantur, & propulsis ignorantia tenebris, ad rectam fidei & sanctitatis lucem recurrant: decet profectò & expedit, ut vobis per orationes fidelium succuratur, quatenus & liberè, quod piè intenditis, exequi valeatis, & desideratum fructum de vestro labore abundantius reportetis. Cum igitur orationes ordinis nostri ex parte vestra à vobis fuerint devotè postulata, eidem petitioni benignè & humiliter inclinati, concedimus vobis universis & singulis plenam participationem nostrorum, & omnium spiritualium beneficiorum, quæ de cætero in universo eodem ordine nostro fient. Et ut labor vester melius sortiatur effectum, auctoritate presentium vobis plenam concedimus facultatem concedendi, erogandi orationes nostras omnibus illis qui ad prædicationem vestram aut monitionem à peccatorum perpetracione cessabunt, aut injurias, vel inimicitias inimicis remittent. Valete, Datum Præmonstrati in Capitulo generali anno gratiæ 1233.

## ANNO 1234.

Cum Lidlumenfè, Frisiæ occidentalis monasterium, littori maris proximum oceani fluctibus frequenter affligeretur, Sibodus Abbas V. monasterium in locum à mari remotiorem anno 1234. transtulit, à fundatione primæ seu veteris vallis anno 52. Quo in loco non longè à Franicherà opido ad nostra usque tempora florens perstitit. Sibrandus Leenus libro citato.

## ANNO 1236.

Hoc anno 7. Aprilis in monasterio Virginum diœcesis Coloniensis Steinfeldensis Abbatia vicino, ex hac vita decessit S. Hermannus, Presbyter & Canonicus ordinis Præmonstratensis, qui & Joseph ob simplicitatem morum, & singularem devotionem erga Deiparam nuncupabatur. Relatus est inde Steinfeldiam, ubi hodieque corpus ejus visitur è terra elevatum. De ejusdem vita scripsit dialogum Raso Bonus vicinus, Canonicus ejusdem ordinis Præmonst. qui extat Tom. 2. Surii, & seorsim in 3. jam olim excusus. De eodem vide Joannem Molanum in Natalib. SS. Belgii 7. Aprilis.

## ANNO 1237.

Aegidius à Lewis, qui primum plebanus seu Paræcus fuerat in municipio Lewensfè, apud Bruxellam, & anno 1214. concionari incipiens, multa hominum millia Cruce signârat, quique post Abbas Viconiensis electus est. Te, inquam, cum fratre Andrea, Plebano & Canonico Ninivenfè & Joanne ab Ontre communi socio circa festum S. Joannis Baptistæ, innumerabili Cruce signatorum turba ad terram sanctam barbaris eripiendam iter instituerunt. Sed Andreas Brundusii in quodam ordinis Præmonstratensis monasterio diem clausit extremum: Cæteri verò Cruce signati, in festo Nativitatis B. Virginis mari fe commiserunt.

Post Godescalcum Petrus, Ecclesiæ Raseburgensi Episcopus datus: Sed neutri diuturnus fuit Pontificatus, nam ambo vix annos quatuor implevère. Krtazius in Metrop. lib. 7. cap. 49.

## ANNO 1238.

Sibrandus sextus Abbas horti B. Mariæ in Frisia occidentali vir doctissimus scripsit vitam B. Friderici horti ejusdem fundatoris quam M. S. habemus in nostra Bibliotheca. Item vitam S. Siardi V. ejusdem loci Abbatiss, quæ M. S. est in monasterio Steinfeldensi Diœcesis Coloniensis. Fuit autem Sibrandus iste omnium scientiarum atque elegantiarum amantissimus, qui accersito quodam Frederico magnæ famæ atque eruditionis viro velut Academiam suo in monasterio instituit, & ante meridiem Ethnicos Poetas atque Historicos, à meridie sacros scriptores prælegendos curavit, quo factum ut magnus erudiendæ juventutis concursus id temporis ad Hortum B. Mariæ extiterit.

Idem



Idem Sibrandus postulante id Anastasia Pomeraniæ Principe ex monasterio Bethle-  
emitico, instituti Præmonstratensis, de quo supra anno 1176. diximus, sacras virgines  
decem selegit & ad monasterium in Sclavonia simile erigendum, ad Anastasiam misit. Ad  
quam cum dictæ virgines pervenissent, divisim utrique filio provinciis ipse Princeps cum  
iisdem ad locum, quem Rubum vulgò nuncupabant, se contulit, ubi mox cœnobio à  
fundamentis exædificato, ordinis se rigori subjecit.

Obiit verò Sibrandus his & aliis piis operibus jugiter intentus anno præfecturæ suæ  
octavo, salutis verò 1238. *Sibrandus Leonius in Catalogo manuscripto Abbatum Horti Mariæ.*

## ANNO 1240.

Buuo vir pius & dives circa annum millesimum ducentesium quadragesimum,  
fundavit Monasterium Bubense in Frisia sic ab Auctore nuncupatum, Virginibus ex Beth-  
lehem ab Horto Mariæ Abbate transmissis.

CONRADUS à *Lichtenau*, genere nobilis, sed ingenio ac doctrina illustrior ordinis  
Præmonstratensis Abbas Nonus Urspergensis ad Mindulam fluvium, in diœcesi Augu-  
stana, scripsit Chronicon à Nino Assyriorum Rege, usque ad annum Christi 1229. Au-  
gustæ vindelicorum. Anno 1515. Argentinae 1537. & Basileæ 1569. typis editum. Sunt  
autem ab Hæreticis insertæ annotationes impiæ, & Parilipomena pariter impia ad calcem  
subiuncta, quæ à Tridentinis censoribus in indice librorum prohibitorum meritò sunt  
damnata.

Scripsit idem Conradus *de vitis Sanctorum* lib. duodecim, ut ipsemet initio chronici  
sui testatur. Obiit anno 1240. in monasterio instaurato & insigni Bibliotheca adornata  
postquam annos 14. laudabiliter præfuisse. *Bruschius in Catalogo Monasteriorum Germaniæ.*  
*Et Joannes Molanus in Bibliotheca Theologica.*

## ANNO 1243.

Raseburgensis Ecclesia per ea tempora Pontificem habuit insignem virum *Ludolphum*,  
qui pro libertate Ecclesiastica sub Alberto Saxonæ Duce fortiter pugnavit. Legitur au-  
tem in historia passionis ejus (ut ait *Krantzius Metrop. lib. 8. cap. 8.*) post varia tormen-  
torum genera jam viribus prorsus destitutum, quietem & pacem, quam in reliqua diœ-  
cesi à facie persequenti non habebat in urbe Wismaria invenisse, atque à nobili viro  
*Joanne Domino Magnopolensi* humaniter susceptum ibidem diem extremum expectasse.  
Accidit autem ut nocte cœnam Domini præcedente duo ex fratribus ad eum venientes,  
salutis poculum eidem adferrent; quo confortatus, viribus receptis, ipso die cœnæ offi-  
cium suum devotissime peregit. Pie verò creditur duos illos fratres qui poculum tradi-  
derunt, fuisse antecessores ejus *Guermodum & Ifridum*. Tanta autem Ludolphi tempo-  
ribus disciplinæ severitas Raseburgi servabatur, ut monasterium istud tam à Clero,  
quàm à populo *carcer ordinis* appellaretur.

Idem Pontifex Monasterium sui ordinis Præmonstratensis in *Rene* fundavit dotavit-  
que. Demum plenus bonorum operum vir Dei quievit in pacè, miraculis etiam illustris.  
Exstant versus admodum ingeniosi in laudem hujus Pontificis, qui quomodo legantur,  
sive per versusum capita deorsum, sive per directum, idem sonant, iidemque semper  
manent versus, si singulorum primas dictiones junxeris, fit primus versus, si secundus,  
secundus, & sic deinceps.

*Geminea Pastorum lux fulgens Regula legis  
Pastorum speculum Juvenum Dux legis imago.  
Lux juvenum claræ Reparator, Gloria plebis  
Fulgens dux Reparator cleri pacis amator  
Regula legis gloria pacis formula dulcis  
Legis imago plebis amator dulcis adesto.*

Hæc ferè *Krantzius Metrop. lib. 8. cap. 8.* præter quem & *Antonius Demochares*  
lib. de SS. Missæ sacrificio in tabulis Episcoporum Raseburgensium versus istos, uti nota  
dignos, literis mandavit.

Anno 1241. medio ferè die corruit turris monasterii S. Michaelis Antverpiæ, ex  
quâ egregiè instaurata hodie Scaldim fluvium longè lateque prospicere licet.

## ANNO 1244.

In pervigilio SS. Apostolorum Philippi & Jacobi Romæ ex vita migravit *Jacobus*  
*Vitriacus* primum *Acconensis* in Syria post *Tusculanus* Episcopus, & S. R. Cardinalis  
sedisque Apostolicæ in Germania, Gallia, ac demum in Syria legatus: qui in historia  
*Collect. Script. Monast. Tom. VI.* (M) sua



sua occidentali cap. 22. de Canonicis Præmonstratensibus multa habet præclara lectuque dignissima. Quæ quidem ad chronici nostri illustrationem visum hic fuit subungere.

Quidam (inquit) vir justus & timoratus, verus Dei Cultor & permanens in innocentia sua, dictus Norbertus cum prædicatione sua, velut celestis fistula & tuba argentea multos docuisset, & ad dominum convertens ad frugem melioris vitæ divinitus inspiratos incitasset, tandem in loco qui Præmonstratum dicitur ad opus sui & discipulorum suorum pacificum constituit habitaculum. Sumpto autem regulari habitu, ut secundum Regulam Beati Augustini Domino militaret, consuetam vivendi modum quem prædicti regulares Canonici usque ad tempora illa laxius observaverant, in se & in discipulis suis coarctavit, quasdam novas institutiones addendo, quasdam etiam veteres immutando. Carnes siquidem Præmonstratensis ordinis Canonici & fratres laici nunquam nisi in infirmitate manducant. A festo Sanctæ Crucis usque ad Pascha jejunant, duobus pulmentis more Cisterciensium in refectorio vescuntur. pellibus ovinis utuntur. Camisis non induuntur. vestiti tunicis albis & caligis, calciati dormiunt. Cappis laneis albis absque tinctura aliqua vestiuntur. Diebus festis more aliorum Canonicorum, novem lectiones, aliis autem tres tantum in Matutinis legunt. Post officium nocturnum ad dormitorium revertuntur ut dormiant & quiescant. temporibus determinatis & horis certis ad labores manuum egrediuntur. Parochiales Ecclesias & animarum secularium curas in propriis personis suscipiunt. Omnia hujus institutionis & religionis monasteria sub uno capite Præmonstratensis Monasterii continentur; ad quod annis singulis ad generale capitulum omnes hujus ordinis Abbates congregantur. Habent autem curias & Prioratus non solum hominum, sed & feminarum, in quibus tam clerici quam laici secundum quod eis à superioribus suis injungitur, commorantur. A principio autem ordinis & novellæ plantationis, cum adhuc pretioso paupertatis thesauro abundarent, quasi musto novæ religionis inebriati, & ferventes igne illo, quem misit dominus in terra ut arderet, adeo succensi sunt, quod non solum vicinas regiones sed remotas per universum ferè mundum provincias accendebant, illuminabant, & exemplo conversationis suæ provocabant. Unde parvo tempore multa ubique hujus ordinis & professionis tam clericorum quam sanctimonialium constructa sunt monasteria, largitione Principum & elemosynis fidelium copiosis redditibus & latis possessionibus in immensum ampliata & sufficienter ditata. Castis siquidem matronis & viduis sanctis & Deo devotis virginibus velut lapidibus pretiosis adornatum, & pulchritudinem tam sanctæ & honestæ religionis convenientibus, quas ex duobus virorum & mulierum parietibus uno angulari lapide conjunctis jucundum Deo constructum est habitaculum, & quasi alterius arcæ ædificium 9. & 6. consummatum, in quo immitia animalia & bestiales sensualitatis motus jejuniis vigiliis, orationibus & aliis variis disciplinis tanta distractione domabantur, quod refrenato tumultu pacem habentes arcæ rectores non multum infestabant. Quod si aliquando contra ipsos indiscipline insurgerent, capitibus eorum illis ad petram in matutinis interficiebantur omnes peccatores terræ. Moniales siquidem adeo inclusæ infra septa monasterii tenebantur, quod ad eas nullus hominum patebat ingressus. Et quoniam in Choro & Ecclesia non cantabant, sed tantum in silentio orationi vacabant, psalteria sua legentes, & horas canonicas vel Beatæ Virginis Mariæ secretis cum omni humilitate & devotione dicentes: commorabantur seorsum ejusdem ordinis sacerdotes & Clerici, viri probati & religiosi, qui eis in divinis officiis servientes confessiones earum per fenestras audiebant, & eas certis temporibus verbis divinarum scripturarum instruere & informare studebant. Postquam verò fenestras in ostia converterunt, & primo fervore tepescente, improvida securitas torporem & negligentiam inducere cepit, dormiente ostiaria in fervore diei, Isboseth percussus est in inguine, & dum arcæ sentinam perforavit, inimicus aquis aperte in inferiore subintrantibus, multi utriusque sexus in limo submersi perierunt. Experimento tandem cognoscentes illam Beati Hieronymi sententiam, si cum viris femina habitent viscarium non deerit diaboli, germinant femina cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percutiuntur, nec possunt tuto corde habitare cum Domino qui feminarum accessibus copulantur. Quemadmodum Salomon ait, Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas ut non comburantur plantæ ejus. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui non erit mundus cum tetigerit eam licet sero. Prudenter igitur in generali capitulo Præmonstratenses unanimiter firmaverunt, quod feminas de cætero in ordine suo non essent recepturi. Hactenus Vitriacus.

Porro quod de perpetua ab esu carniarum abstinencia hoc loco Vitriacus ait, id olim in primo ordinis fervore servatum est. Quæ de re multa Joannes Iperius Abbas M. S. Chronico Bertiniano, sed postmodum Romanis Pontificibus indulgentibus ad certa anni tempora restrictum. Quæ de re vide infra diploma Julii II. anno 1503. datum. Quod idem Vitriacus ait in generali capitulo Præmonstratenses statuisse de fæminis in posterum ad ordinem non admittendis, sic interpretandum existimo: ut ad idem cum viris contubernium non admitterentur. Quod quidem facere videtur, quod in statutis an. 1505. evulgatis habetur dist. 4. cap. 15. his verbis. Nulla mulier in ordine nostro recipiatur in sororem, nisi in illis locis, quæ sunt ab antiquo recipiendis cantantibus sororibus in perpetuum deputata. Florent autem hodie sacrarum hujus instituti Virginum monasteria per Hispaniam, Galliam, Germaniam superiorem & inferiorem plurima.

Innocentius IV. Pontifex Max. inter alia plurima ad reformationem Præmonstratensis ordinis pertinentia, sancivit, ne quis conversus (ut vocant) in posterum admittatur, nisi



nisi vicesimum quintum ætatis annum attigerit. Simplo diplomate Lugduni VII. Idus Martii Anno 1244. dato hodie multis è locis converfi five laici, ut vocant excluduntur, quod ferè ad liberiozem vitæ rationem dilabi soleant.

## ANNO 1248.

Idem *Innocentius* Pontifex quarto post anno in gratiam Præmonstratensium hoc diploma edidit. *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, & devotionis vestræ precibus inclinatus ut possessiones & alia mobilia bona & immobilia exceptis feudilibus, quæ personas liberas fratrum ad monasteria vestra mundi relicta vanitate volantium & professionem facientium in eodem si remansissent seculo ratione successionis vel quocunque alio justo titulo contigissent, petere, recipere, ac retinere liberè valeatis vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli igitur &c. Datum Lugduni 4. Non. Jan. Pontificatus nostri an. 6.*

## ANNO 1255.

Hoc anno *Coningsfeldia*, quod latinè regium campum sonat nobilium virginum in Batavia cœnobium à *Richarda* sorore *Guilhelmi* secundi *Hollandiæ* *Zelandiæ* que comitis & *Rom. Regis*, exstruitur ad muros *Delfensis* in *Hollandia* oppidi, ad *Sciæ* fluvius ripam: locus est cognominis illi, ubi *Melchisedechus* *Solimorum* Rex, *Abrahamum* excepit, quem *Josephus* testatur *Regium campum* quoque fuisse cognominatum. Sed ut alia ferè *Bataviæ* monasteria, sic & istud temporum iniquitate dirutum atque excisum est. *Chorum campi Regii* nomen huic cœnobio inditum videtur, quod illud ipsum *Richarda* struxerit in remedium animæ fratris sui *Guilhelmi* *Rom. Regis* à *Frisiis* cæsi, ut alibi disertè scriptum legi.

## ANNO 1260.

Defuncto *B. Ludolpho*, in sede *Episcopali Raseburgensi* præficitur *Fridericus*: de quo etsi annales sobriè scribant, insignem tamen fuisse, & loci celebris religio, & magni prædecessoris exemplum persuadet. Ita ferè *Krantzius. Metrop. lib. 5. cap. 18.*

## ANNO 1267.

*Raseburgensi* *Ecclesiæ* per hoc tempus præfuit *Ulricus*, nobili *Glucherorum* familia natus, pauperum consolator insignis, in elemosynis dandis largus, cæterisque misericordiæ operibus admodum deditus. Quo factum est, ut cùm frumentum omne pauperibus quodam tempore famis distribuendum curasset, *Granazium* immisso divinitus frumento plenum sit inventum. (*Krantzius Metrop. lib. 5. cap. 29.*)

## ANNO 1270.

*S. Ludovicus* ejus nominis *Galliarum* Rex nonus, ordinis *Præmonstratensis*, magnus fautor & promotor, in Domino obdormit.

## ANNO. 1276.

*Ulrico* in sede *Raseburgensi* à fratribus successor datus est *Conradus*; vir senex & bonus. Quod quidem olim elogium *S. Ambrosius Simpliciano* tribuit. *Conradus* autem præfuit annis non paucis. *Krantzius Metrop. lib. 5. cap. 44.*

## ANNO 1179.

*Guilhelmo Werciniensi* apud *Viconienses* Abbate juvenis quidam ibidem fuit *Jacobus* nomine, novitius, ut vocant, piis operibus ac cantu in choro admodum se oblectans: qui ante votum professionis solenniter emissum gravi infirmitate correptus, paulò ante mortem raptus est in extasim. At post sibi redditus, cùm maxima gaudii signa daret, à magistro novitiorum aliisque adstantibus causam rogatus, respondit, vidisse in paradiso cœlesti choros inter virginum, locum sibi præparatum, rogavitque ut magister antiphonam in choro cum aliis sæpiùs à se decantatam, *Ave mundi spes Maria* secum canere dignaretur. Quo factò, pius juvenis suavissimè in domino obdormivit, accidit autem ut anno post tertio, cùm *Ecclesiæ* novæ fundamenta jacerentur, corpus ejus profus illæsum atque integrum sit repertum, adeo ut nulla in parte à vermibus arrosus, spirare ac vivere videretur, vestimentis tamen quibus involutum fuerat, corruptis atque absumptis. Itaque sacrum corpus virgineum fratres levantes, honorifico tumulo in *Ecclesia* nova condiderunt. *Annales Viconienses.*

## ANNO 1282.

*Rudolphus Habsburgus* I. *Rom. Imperator Austriacæ* familiæ, hodie per orbem universum potentissimæ, caput, ejusque conjunx *Anna* Comitissa *Hoehenburgensis* (quæ *Bavariæ* in summa æde quiescit) ordinis præmonstratensis fautores eximii monasterium *Albæ*  
(M 2) *Augiæ*



*Augiæ* apud Suevos, de quo supra diximus anno 1145. ita auxerunt ac locupletarunt anno 1282. ut secundi ejus loci fundatores merito habeantur. *Bruschius in Catalogo Monast. Germaniæ.*

Anno eodem *Nicolaus IV.* Pont. Max. Innocentii IV. prædecessoris sui statutum, de abstinentia ab essu carnum mitigavit, earumque esum dispensationi ac discretioni Abbatum eorumve gerentium vices reliquit.

## ANNO 1290.

Circa hoc tempus post *Conradum* subrogatur & sufficitur ex fratribus instituti Præmonstratensis *Hermannus*, frater Germanus *Ulrici* Episcopi ante eum secundi; ferunt cum *Ulrico* extremum ægotanti fratres magno ejus desiderio fortè adstant, rogasse quendam familiarius, si ipsum ex hac vita evocari contingeret, quid de *Hermanno* Germano suo fratre sentiret, essetne Ecclesiæ præficiendus? Ille, ne sanctuarium Domini hæreditario quasi jure traderetur, fratribus prorsus suavit, ut Germano neglecto, alium eligerent. *Ulrici* itaque consilium secuti, prima vice fratrem ejus præterierunt, sed post voto suo jam pridem concepto satisfaciens, eundemque secundum ab *Ulrico* Episcopum designarunt. *Krantzius Metrop. lib. 3. cap. 54.*

## ANNO 1294.

*Baldwinus*, Canonicus *Ninivensis* in Flandria, officio Diaconus scripsit *Chronicon* à Christo nato ad annum usque 1294. Extat matat manuscriptum in *Ninivensi* Abbatia nosque illo non mediocriter adjuti sumus.

## ANNO 1298.

Hoc ferè tempore monasterium *Sancti Salvatoris* in Bavaria à *Bernardo & Friderico* cognomento *Beringariis* conditur, canonicis instituti Præmonstratensis ex *Osterhovo* evocatis, quod *Bernardus Branpachius* Episcopus Pataviensis dicavit consecravique: subiit autem hoc monasterium varias mutationes, donec tandem cum *Osterhovensium* in perpetuum est conjunctum *Hundius in Metrop. Salisburg. & Aventinus in Annal. Bojorum.*

## ANNO 1306.

Claruit *Joannes Tungrius*, Abbas *Viconiensis* XVI. Doctor Theologus, qui sacras litteras Parisiis magna cum laude professus est. Scripsitque in tres priores libros *Petri Lombardi & Magistri sententiarum lib. 63. Quæstionum quodlibeticarum, quæstionum ordinariorum lib. 1.* Fuit gratissimus *Guilbelmo*, ejus nominis primo *Hannoniæ* Comiti, ejusque Conjugi *Joannæ Valesiæ*, cui & opera varia Gallico idiomate inscripsit. Fuit autem hæc *Joanna* *Philippi Galliæ* Regis soror, & duarum *Reginarum* Mater: quæ marito defuncto, totam se Deo dicans, *Fontavellense* monasterium proventibus à se auctum multos annos religiose admodum rexit: plurimumque adlaboravit, ut dissidentes inter se *Galliæ & Angliæ* Reges componeret. Erat mulier admodum munifica erga pauperes ac religiosos, cujus & liberalitatem *Viconienses* experti sunt.

## ANNO 1307.

Claruit hoc tempore *Haitonus* sive *Ailonus Aitoni Armeniæ* Regis nepos: qui relicta patria & consanguineis, in *Cyprum* se contulit ad *Episcopiam*, Ord. Præmonstratensis monasterium, ibidemque habitum regularem suscepit. Scripsit historiam *Tartarorum*, quæ alias inscribitur *itinerarium & flos historiarum terræ orientalis*. Historiam hanc ex Gallico latinam reddidit anno 1307. in urbe *Pictavensi*. *Nicolaus Salcanus*, jussu *Clementis V.* Pont. Max. extatque typis excusa *Haganoæ* an. 1529. in 4. & *Basilicæ* inter orbis novi scriptores, anno 1532. & 1555. scripsit idem commentarium in *Apocalypsin B. Joannis*. Quia verò nonnulli eum ordinis Prædicatorum fuisse existimant, libet ipsiusmet verba ex *Tartorum* historia cap. 46. hic adscribere.

Ego (inquit) frater *Haitonus* interfui omnibus prælibatis, qui dudum proposueram habitum sumere regularem, sed propter inconvenientia & ardua negotia regni *Armeniæ*, cum honore meo non poteram in tantis necessitatibus derelinquere consanguineos & amicos. Undè postquam Deus sua pietate mihi concessit gratiam dimittendi regnum *Armeniæ*, & populum Christianum post multos labores meos in statu pacifico & quieto. Confestim votum quod diu voveram, volui adimplere. Accepta itaque licentia à Domino meo Rege & ab aliis consanguineis & amicis, in campo illo ubi Deus de inimicis triumphum concesserat Christianis arripui iter meum, & perveniens in *Cyprum*, in Monasterio *Episcopie*, Præmonstratensis ordinis suscepi habitum regularem, ut qui in juventute mea militaveram mundo, in servitiis Dei, reliquam vitæ meæ, pompis hujus sæculi relictis, consumerem. Anno Domini 1305. Hactenus *Haitonus*.

Vico-



ANNO 1308.

Viconiense apud Belgas in Hannonia monasterium, plurimis eruditione ac pietate illustribus viris floruit. Fuit inter hos *Nicolaus à Montignii*, qui post ex Canonico Viconiensi creatus est Abbas *Castella S. Martini* ad Scarpum fl. apud *Montigneam*. Scripsit is annales monasterii Viconiensis. Item historiam martyrii & translationis SS. undecim millium virginum lib. 1. de miraculis S. Blasii lib. 1. Item memoriale reliquiarum Ecclesie Viconiensis, & alia quæ Viconiæ manuscripta adservantur. Laudat eum eximie Scriptor Anonymus, qui annales Viconienses doctissime supplevit.

ANNO 1320.

His temporibus floruit *Joannes Prichestus*, Viconiensis Abbas XVIII. Doctor Theologus & Professor olim Parisiensis. De multis quæ scripsit extat Alphabetum vitæ religiosæ lib. 6. Floruere in eodem Viconiensi monasterio pii juxta ac docti viri *Petrus Viconiensis*, qui scripsit introductionem in Theologiam, extatque manuscripta in Ninivenfi, apud Flandros, monasterio & alibi. Item *Thomas Viconiensis*, qui commentarios in Cantica Canticorum lib. 1. & in Job. lib. unum conscripsit.

ANNO 1330.

*Petrus à Lutrà*, Canonicus Cænobii Lutrensis, vir in divinis scripturis eruditus & secularis literaturæ non ignarus, Philosophus & jure consultus clarissimus, ingenio subtilis, eloquio scholasticus Scripsit in 4. libros sententiarum Petri Lombardi in Evangelium Joannis lib. 1. de prerogativis Ecclesie Trevirensis lib. 1. ad Balduinum Archiepiscopum Trevirensis septenarium candelaborum, de summi Pontificis eminentia lib. 4. adversus Michaelem quendam ejusque asseclas S. Pontificem impugnantes lib. 1. ad Cardinalem Columnam, de Columnis mysticis, lib. 1. de Sacramentis Altaris lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Sermones varios de tempore & de sanctis per anni circulum 1. 2. Reliquit & alia præclarâ ingenii sui monumenta. Floruitque anno 1330. Ita ferè *Trithemius in Catalogo illustrium virorum Germaniæ*. Dolendum sanè ex tot præclaris lucubrationibus, nihil quod sciam, typis evulgatum extare. Observo autem à *Canisio*, *Genebrardo* & aliis citari quendam *Petrum Præmonstratensem*, quem alium ab isto esse existimo: citatur, & quoddam ejus chronicon nondum à me visum *Joannes Paleomydorus* ait hoc chronicon vocari *Biblia pauperum*.

ANNO 1332.

*Guilhelmus Brenensis* monasterii in Gallia Canonicus, Theologus Parisiensis, postoris reliquit Homiliarum lib. 1. floruit circa annum 1332. Nicolao Lirano coætaneus.

ANNO 1338.

Ipso Festo B. Mariæ Magdalena *Eduardus* Angliæ Rex, cum conjugæ suæ, trecentisque ac quinquaginta Antverpiam venit, *Philippo* Valesiæ Regi Galliæ bellum moturus. Sunt autem mense uno hospitati in castro veteri Antverpiensi, apud ædem S. Walburgæ sacram ad Scaldim fluvium siti. Inde ad monasterium S. Michaelis se transtulerunt, ibidemque ei Regina filium peperit *Leonellum* nomine, qui postea Dux Clarensis fuit. Baptizavit verò infantem *Guilhelmus Cabilliau* Abbas S. Michaelis: patrini autem & susceptores ejusdem fuere, *Joannes tertius* Brabantia Dux, & Comes Suffo... natione Anglus: susceptrices autem Comitissæ Hannoniæ & Geldriæ. Cæterum *Eduardus* in dicto S. Michaelis monasterio fundavit altare S. *Georgii*, cum dote & onere Missæ quotidianæ: decessit autem demum Antverpia, in Angliam rediens 22. Januarii, 1339.

ANNO 1354.

Libet ad feriem Episcoporum Räteburgensium postliminio redire *Hermanno* de quo supra diximus an. 1290. suffectus est vir nobilis *Marquardus*, cognomento *Jesewenus* *Marquardo Wolradus*, nobili genere Dornensium apud Holfatos natus. *Wolrado* vir insignis *Otto* ex illustri familia à *Gronauven*: *Otoni* autem successor datus est *Wipertus Blucherius*, itidem vir nobilis. Hunc necdum professum, ut vocant seu votis monasticis nondum solenniter adstrictum, ob egregiam indolem, Fratres Episcopum, anno circiter 1354. designarunt. Quare Romam profectus ut super ætatem dispensationem à Romano Pontifice impetraret, & primum quidem ab eodem ob ætatis defectum, est rejectus. At nocte insequenti divinitus adeò canus est factus, postero ut die iterum Pontifici oblatum, non agnosceretur: certò tamen edoctus Pontificem ipsum esse, quem antea reputasset electum. Domum itaque reversus *Wipertus*, laudatissime suam rexit Diocesim: utque

Collect. Script. Monast. Tom. VI.

(N)

erat



erat animo excelsio atque imperterritio, pro tuendis Ecclesiæ suæ bonis ac juribus *Alberto* Duci Magnopolienſi: vulgò *Meckelburgensi*, acriter se opposuit, quem & vehementi sua oratione tandem vicit, atque emolliit. *Krantzius Metropol. lib. 9. cap. 8. 25. 34. & 47.*

## ANNO 1384.

*Rogerus Dechtus*, monasterii Viconienſis Canonicus, vir longè doctissimus, scripsit sermones plurimos in synodis & capitulis à se habitos. Item commentarios quosdam in jus Canonicum. Floruit circa annum 1384.

*Petrus Herentalius*, Brabantus, Monasterii Floreſſienſis in comitatu Namurcensi Prior, concinnavit commentarios sive catenam ex SS. Patribus in psalmos universos petente *Joanne ab Ackels*, Episcopo Leodiensi, quæ typis exstant edita Coloniae. An. 1453. & 1487. in folio Rutlingæ 1488. Rothomagi 1504. in 4. meminit ejus Sixtus Senensis Bibliothecæ l. 4. Scripsit item in VII. Psalm. Pœnitent. lib. I. in 15. cant. graduum lib. I. Item *collectaneum* ut vocatur in quatuor Evangeliorum Tomis duobus. Item chronico-rum volumen ingens ab orbe condito ad sua usque tempora: denique catalogum ac res gestas Abbatum Floreſſienſium. Ex quibus elucubrationibus pauca typis sunt edita. Floruit an. 1384.

## ANNO 1399.

*Joannes à Gravina* Tungerloensis Abbas 23. obiit an. 1399. Decemb. 19. Is Romam profectus, mitræ jus ibidem à summo Pontifice impetravit.

## ANNO 1410.

Redeo ad Episcopos Raseburgenses. *Wiperto* sufficitur *Henricus Wittorpius*, qui à *Carolo 4.* Imperatore multa privilegia Ecclesiæ suæ impetravit, *Henrico Gerhardus*, qui ut bonus Oeconomus. rem Ecclesiæ egregiè auxit. *Gerhardo Detlevus* cognomento *Bar-kenty*, vir nobilis & pius. *Detlevo Joannes*, humili quidem familia natus, sed virtute atque industria singulari præditus. *Joanni Dardamus* ex familia nobili *Kneſebecana* ditionis *Luneburgensis*: præfuit autem *Dardamus* circa annum 1410. Quo quidem tempore cum proventus Ecclesiæ seu temporum incuria seu quorundam incuria diminuti, fratribus alendis non sufficerent, pius Pontifex Dei ejusque genitricis *MARIÆ* certis precationum formulis ad id institutis, auxilio implorato, solatium obtinuit atque augmentum *Krantzius Metropol. lib. 10. & 4. l. 11. cap. 4. & 15.*

## ANNO 1411.

*Herentalia*, quod est Brabantia opidum, virginum Ord. Præmonstratensis monasterium fundatum est abs nobili viro *Arnoldo Craijenbemo*, Domino seu toparcha in *Grobbendonck*, *Ouwven*, *Bauvoel* &c. ejusque conjugè *Elizabetha Steinwortia*. Inditumque huic monasterio nomen *Horti conclusi B. Mariae*. Cujus loci prima præfesta seu Priorissa, ut vocant, *Anna Bouchoutia* extitit, cum aliis tribus sodalibus, ex *Valle liliorum*, *Mechlinienſis* agri monasterio, eodem anno Christi 1411. die 11. Maji, adventantibus.

Fuere in hoc monasterio virgines plurimæ virtutibus variis, atque in primis humilitate illustres. Quas inter potissimum emicuit *Elizabetha Arenistia*, sexta hujus loci præfesta.

## ANNO 1417.

*Gerardus ab Eych*, Abbas Floreſſienſis *Thoma Hubuleto* Presbytero adjunctante, insignè Franciscanis monasterium ad *Sabim* vulgò *ſcambram* fluvium, in agro Namurcensi, hoc anno extruxit: idque in honorem SS. *Francisci & Ludovici*, Episcopi Tolofani, Sixto quarto Pontifice Maximo approbante. Quod quidem monasterium hodieque floret. Vide *Franciscum Gonzagam libro de origine Seraphica religionis.*

## ANNO 1428.

*Joannes à Sichenis*, Tongerloensis Abbas XXIV. obiit anno 1428. die 22. Julii. Fuit is fundator Collegii Canonicorum in Diestensi, apud Brabantinos opido.

*Pardamo* in Raseburgensi Episcopatu successit *Joannes*, plebejo quidem genere natus, ex fratribus tamen Præmonstratensibus ad eam dignitatem adsumptus. Cui alter *Joannes*, nobili familia oriundus suffectus est, homo rigidus, & justitiæ zelator: quique suis canonicis ad sacrarum studia literarum sese comparantibus, opulentos omninò census reliquit.

## ANNO 1447.

*Joanni* successor datus est *Ludolphus*, ejus nominis secundus, vir admodum pius ac justus, quique carnem suam cilicio domare frequenter erat solitus. Ante Episcopatum annos plurimos ejusdem Ecclesiæ Præpositus extiterat. Idem prædecessoris sui exemplo (uti erat in Oeconomia diligens atque industrius) Ecclesiæ suæ Canonicis in Academiis alendis itidem benefecit *Krantzius Metropol. libr. 11. cap. 23. 34. & 50.*

## ANNO



ANNO 1453.

Hoc anno *Lucas ab Eyck* 35. Abbas Floressiensis nobili genere in Campania Brabantiæ natus, jus mitræ gestandæ sibi suisque successoribus à *Nicolao 5. Papa* impetravit. Obiit Præsul optimus anno Christi 1465. præfecturæ circiter 22. Abbas etiam *Osterbowiensis* in Bavaria, hoc anno à summo Pontifice infulam impetravit.

ANNO 1460.

Abbas *S. Michaelis Antverpiæ* cœpit similiter hoc anno mitra uti.

ANNO 1465.

Obiit Antverpiæ *Isabella*, Caroli Audacis, Belgarum Principis conjux, estque in odejo *D. Michaelis* tumulata, summam ante aram crucis sepulchrum ibidem etiamnum videtur.

ANNO 1472.

*Guilhelmus* monasterii *Trunciniensis* apud Gandavum in Flandria Abbas, vir eruditus, soluta vincitæque oratione promptus, scripsit Poemata plurima, in his & epigrammatum librum unum, qui hodieque adservatur: cetera ejus opera anno 1566. Iconoclastarum furore perierunt. Vixit circa annum 1472.

Merito nobis hic commemorandus est *Joannes* cognomento *Fierkens* ad *D. Michaelis Antverpiæ* in patria sua Abbas 25. vir multis laudibus insignis: qui uti erat admodum industrius, monasterium suum tot tamque amplis auxit ædificiis, ut ea hodieque Belgarum Principibus, quotiescunque Antverpiam divertunt, hospitium præbeant. Sunt enim ea amœnissimo loco sita ad Scaldim fluvium, ut in urbe Antverpiana haud facillè jucundiorē aut salubriorem commorationem invenias. Obiit autem dictus Abbas 19. Januarii Anno 1476. cum annis 23. laudabiliter præfuisset. Legi olim solent hi versus, monumento ejus inscripti.

*Hic jacet in tumulo Fierkens virtute Joannes  
Insignis præsul hoc proba vita docet.  
Abbas hujus erat templi venerandus, & urbe  
Hac genitus, prudens, optimus atque pius.  
Moribus emeruit nullo reprobante regendi  
Officium, Præsul contulit alter ei  
O bene consultum; turbæ secretus egenti  
Dona dabat dextrâ, nescia læva tamen.  
Profuerit quantum Pastor vigilando benignus,  
In grege dilecto plurima signa manent.  
Namque locum struxit pulchrum ad communia fratrum,  
Desuper & fulta est Bibliotheca libris.  
Præsulis atque domos aula exornavit, ubique  
Perdita restituens, adjiciensque nova,  
Atque crucem meam, templi partemque chorumque  
Perfecit, Berschos, egregiamque domum,  
Auctaque jura suis mitras habitusque reliquit  
Annis bis denis præfuit atque tribus  
Nunc jacet exemplum reliquis pastoribus altum  
Mens petiit cælum perfruiturque Deo.*

ANNO 1480.

*Ludolphi II.* morte viduatam *Rasburgensem* Ecclesiam, excepit *Joannes Stalcooperis*, ejusdem Ecclesiæ frater conventualis, atque ut illa ferebant tempora medicæ artis professor egregius: cui successit anno circiter 1480. *Joannes* cognomento *Backentinus*, vir nobilis, qui cum Duce *Magnopolensi* *Magno* Romam se contulit.

Hujus Episcopi temporibus, Romano Pontifice dispensante, Canonici qui hætenus instituti fuerant Præmonstratenfis, facti sunt seculares, ipso Priore Decani nomine ac dignitate donato. *Kranzius lib. 12. Metrop. cap. 10. & 13.*

Hætenus de *Rasburgensium* Episcopis: quorum plerique instituti Præmonstratenfis fuere, diximus. Fuerunt autem Præter *Rasburgensem*, & aliæ plures hujus instituti cathedrales apud Germanos Ecclesiæ, ut *Magdeburgensis* in Saxonia Archiepiscopalis. *Bran-deburgensis* in veteri Marchia, & *Havelburgensis* in Saxonia Episcopales, ac posteriores quidem duas multo tempore Præmonstratense institutum observasse, testis est *Kranzius Metrop. l. 7. cap. 50.*

(N 2)

EX



Ex quibus patet, nonnullis olim monasteriis, uti Raseburgensi, sic dignitatem Episcopalem fuisse annexam, ut ad eam ferè nonnisi Præmonstratensis ordinis Religiosi adsumerentur, quædam verò Monasteria Ecclesias quidem simul fuisse Cathedrales, seu Episcopales: sic tamen ut & cujusvis ordinis homines ad Episcopatum admitterentur. Quæ quidem omnia commonstrant, quanta olim fuerit dignitas, quantaque majestas hujus ordinis Præmonstratensis. Vide & supra ad annum 1126. quæ de Olomucensi in Moravia Episcopatu diximus. Fuit & apud Anglos in Britannia monasterium *Candidæ casæ*, Episcopali sede illustre.

Item in Sclavonia monasterium *Belburchense*, cathedrali item sede decoratum.

ANNO 1484.

Innocentius VIII. Pontifex Max. amplissimo diplomate anno 1484. septimo Idus Februarii dato, utriusque sexus Monasteria ordinis Præmonstratensis à gabellis atque illicitis exactionibus exemit. Abbate S. Genesofæ Parisiensis, & Sancti Georgii Coloniensis, ac S. Petri Lovaniensis Ecclesiarum Decanis, eorundem defensoribus ac tutoribus constitutis. Quod quidem Fridericus tertius Imperator paulò post sua auctoritate roboravit & publicavit.

ANNO 1503.

Julius II. Pontifex diploma amplissimum de legibus seu statutis ordinis Præmonstratensis interpretandis, seu limitandis edidit: quod diploma quia multas summorum Pontificum ut Pii II. Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. ordinationes breviter perstringit, subjicere hoc loco oportunum judicavi.

**JULIUS** Episcopus, servus servorum Dei dilecto filio Abbati monasterii Præmonstratensis Laudunensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Rationi congruit & convenit honestati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt licet ejus superveniente obitu, literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerunt, suam consequantur effectum. Dudum siquidem postquam felix recordationis Pio Papæ II. prædecessori nostro pro parte tunc Abbatis Præmonstratensis Laudunensis diœcesis & aliorum Coabbatum monasteriorum Præmonstratensis ordinis, ubilibet constitutorum, exposito, quod cum quædam continerentur in statutis & privilegiis dicti ordinis, quæ à nonnullis annis citra non fuerant observata, & ad quæ servanda propter eorum rigorem, illorum temporum conditionibus pensatis, non facile credebatur tantam multitudinem induci posse, & quædam servata quæ nullam aut modicum fructum offerebant, quodque Patres ejusdem ordinis id considerantes, aliæque alia statuta, aliquorum priorum derogatoria edidissent: quorum usus in ipso ordine tum à pluribus annis inoleverat, ita quod de contrario apud tunc existentes, aut nulla aut parva erat memoria, nonnulla verò transissent in non usum desuper contrariis statutis minimè editis, ferebaturque præterea ab aliquibus, eos non vivere in statu securo, eò quod statuta quæ ipsi ordinarerant, & in communem usum transferant, privilegiis & statutis seu ordinationibus Apostolicis contraria videbantur: quodque etiam non omnia servarentur ab Abbatibus prædictis, ut congruebat. Idemque Pius prædecessor Parisiensis & Cameracensis, S. Quintini in Viromandia, Novomensis diœcesis Ecclesiarum Decanis, eorumque propriis nominibus non expressis suis dederat literis in mandatis, ut ipsi vel duo vel unus eorum accersitis cum eis aliquibus personis Ecclesiasticis, regularibus vel secularibus divini & humani juris peritiam habentibus, vitæ ac morum honestate præclaris ac Religionis zelo flagrantibus, privilegia, statuta, instituta & consuetudines hujusmodi auctoritate Apostolica diligenter, viderent, recenserent & examinarent, ac illis visis recensitis & examinatis ut præfertur. Si quæ ex eis pro tunc Abbatibus & Coabbatum prædictorum statu & indemnitatibus, & animarum salute hujusmodi reformandæ fore conspicerent, eundem Pium per eorum patentes literas, eorum sigillis munitas, curarent quantoties desuper efficere certiores. Ac quondam Thomas de Courcellis, tunc Decanus dictæ Ecclesiæ Parisiensis, ad executionem ipsarum literarum procedens, eorumque forma servata, præfato prædecessori, una cum Aegidio Carlerio, Cameracensi, & Joanne Molet S. Quintini Ecclesiarum prædictarum Decanis suis in ea parte collegiis per patentes literas sigillo Decani Parisiensis & collegiorum hujusmodi subscriptione munitas, quid in præmissis agendum foret, ad plenum rescripissent. Diciturque prædecessor considerans, quod Abbates dicti ordinis, more & consuetudinum in sua religione vigentium lucidiorum quàm cæteri homines haberent notitiam & quid singulis expediret, nec non ad quæ instituta observanda verisimiliter induci valerent plenius indicare possent, tunc Abbati ejusdem monasterii Præmonstratensis, per suas literas commiserat & mandaverat, ut convocatis dictis Coabbatibus qui nonnullos canonicos ejusdem ordinis observantia ac statutorum, ordinationum & consuetudinum ejusdem Ordinis præ aliis notitiam habentes secum ducerent, capitulum generale congregaret: in quo ipsius ordinis professores ad meliorem observantiam regulæ, & statutorum dicti ordinis, ad quem verisimiliter induci possint, inducere procuraret, cæteris statutis attentis circumstantiis, ac temporum ac personarum qualitatibus pensatis, donec professores hujusmodi ad illa observanda inclinati & dispositi invenirentur, interim in suspensoremanentibus. Ita tamen, quod Abbates & alii prædicti religiosi capitula quæ sequuntur inviolabiliter observare teneretur: videlicet quod tria vota, obedientia, castitatis,

& Pau.



& Paupertatis non remitterent, & ea, quæ substantialia regulæ S. August. quam profitebantur, fo-  
 rent, nullatenus infringere, aut diminuerent, ac pro abstinentia ab esu carniū, quæ illis tam ex  
 statutis piæ memoriæ Innocentii Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, quàm aliis in eorum capitulis ge-  
 neralibus editis injuncta erat, donec ad majorem præmissorum observantiam induci possent, singula Quar-  
 tis Feriis, & cujuslibet Sabbathi diebus, nec non à prima Dominica adventus usque ad Natalem Do-  
 mini: & à Dominica Septuagesimæ usque ad Pascha resurrectionis, in quolibet loco abstinerent, ac  
 omnibus sextis feriis jejunarent. Qui verò in prædictis diebus carnes comedisse convictus vel confessus  
 foret, pro vice qualibet tribus sextis feriis in pane & aqua jejunet, debilibus & infirmis, potionatis  
 & minutis, qui non in refectorio sed infirmitorio, vel alio loco per Abbatem vel ejus Vicarium depu-  
 tando, reficerentur, exceptis. Qui cum necessitas ingrueret, sextis feriis plus quam semel comedere,  
 & in aliis supranotatis diebus carnibus refici possent. Quanquam omnes & singuli religiosi & pro-  
 fessores cujuslibet conventus inibi quotidie refici, & in Dormitorio ejusdem de nocte quiescere deberent.  
 Officialibus qui circa administrationem rerum temporalium occuparentur, ac debilib. & infirmis ac aliis  
 cum quibus Abbates seu eorum loca tenentes, ex aliqua rationabili causa super hoc dispensarent, duntaxat,  
 & exceptis. Præterea omnes religiosi prædicti in choro, claustris, Dormitorio & Refectorio si-  
 lentium observarent, & si loqui necesse foret, breviter tantummodo verba, & submissa voce proferrent.  
 Nec loca prædicta mulieres, ingredi permitterent, nisi monasteriorum fundatrices forent, vel de li-  
 centia Abbatum seu loca tenentium eorundem aliquæ honestæ matronæ, ex rationabili tamen causa clau-  
 strum duntaxat ingredi permitterentur. Nec non quod domus sororum dicti ordinis, nullus secularis vel  
 cujusvis ordinis regularis, nisi secundum formam in statutis dicti Innocentii & aliorum summorum  
 Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum super hoc editis, intraret. Et quod nullus Abbas aliquem,  
 nisi deciminoctavum annum egisset, in canonicum reciperet, & nulli consanguineorum suorum vel  
 alteri non egeno vel pauperi, bona mobilia vel immobilia Monasteriorum, quibus præessent, in eorum  
 gravamen concederent, nec non hospitalitatem per singula monasteria, secundum locorum possibilitatem  
 servare, & elemosynas erogare, quodque statum domus, quantitatem expensarum, & receptorum  
 summam, debitorum & creditorum nomina, & causas propter quas essent contracta, debita, & in  
 quas utilitates conversa, illi qui his se intromisissent, coram officialibus domus, ad hoc pro tempore de-  
 putatis, ad minus singulis annis semel reddere tenentur. Nec non statutorum dictorum transgressores,  
 si religiosi per Abbates, si verò Abbates forent, per superiores suos, secundum quod gravitas culpæ  
 exigeret, debite punirentur. Aliis autem ordinationibus & statutis ejusdem ordinis, circa divini of-  
 ficii celebrationem, Abbatum electiones, officiorum & beneficiorum distributiones Ecclesiarum Parochia-  
 lium regimen, pensionum assignationes, victum & vestitum religiosorum, equitaturas, Capitularum  
 congregationes. Criminum & delictorum punitiones, & alia quæcumque tam auctoritate Apostolica  
 quam alias editis, quæ tunc Abbati & Abbatibus Prædictis in dicto Capitulo generali, ut præmissum  
 est congregandis, commode observari posse viderentur in suo robore duraturis. Nec etiam apud eos qui  
 statuta præfata hucusque observare soliti essent, illa per hujusmodi ordinationem intelligerentur rela-  
 xata, sed potius ad perseverandum in sua devota conversatione & solita observantia, ac fructus ube-  
 riores virtutis & sanctimonie, jugiter perseverandum, piis exhortationibus & salutaribus admonitioni-  
 bus inducerentur. Diciturque Pius prædecessor, quicquid per tunc Abbatem cum præfatis Coabbati-  
 bus, & religiosis & de eorum consilio, maturaque deliberatione præhabita, in dicto Capitulo gene-  
 rali, quæ ad religionis augmentum & eorum animarum salutem tendere dignoscerentur, circa præ-  
 missa fieri contingeret, ex tunc Apostolica auctoritate approbaverat & confirmaverat, suppleverat  
 & omnes & singulos defectus si qui forte intervenissent in eisdem. Et deinde pro parte tunc Abbatis  
 Præmonstratensis & Coabbatum prædictorum ac Priorum Præpositorum, Priorissarum, singularum-  
 que Personarum ejusdem ordinis bonæ memoriæ Sixto Papæ IV. etiam prædecessori nostro, exposito,  
 quod per Abbatem & Coabbates ac religiosos prædictos, ad literarum Pii hujusmodi executionem ejus  
 superveniente obitu, per omnia processum non fuerat, ac grave admodum non videbatur plerisque dicti  
 ordinis professoribus toto tempore continuo, à Dominica septuagesimæ usque ad Pascha resurrectionis à  
 carnibus abstinere. Idemque Sixtus eorum in ea parte supplicationibus inclinatus, & literas prædi-  
 ctas eadem auctoritate approbans, ac in statum & vigorem in quo erant, antequam dictus Pius præ-  
 decessor decederet, reponens. Illasque & inde secuta quæcumque in robore firmitatis subsistere debere  
 decernens, eidem Abbati ad totalem executionem literarum vim formam & tenorem procedendi, & dies  
 abstinentiæ carniū inter septuagesimam & quinquagesimam, in totidem dies, festum omnium San-  
 ctorum immediatè præcedentes, commutandi, ac omnes & singulas ordinationes & statuta, regulam,  
 ac tribus substantialibus votis professione & toto tenore literarum Pii prædecessoris hujusmodi, ad instar  
 capituli generalis in Windessem dicti ordinis S. August. Trajectensis Diocesis, qui sub regulari obser-  
 vantia vivebant, cum Abbatibus ac religiosis prædictis moderandi, interpretandi ac illis addendi vel  
 minuendi, ac etiam illa in totum annullandi, & nova toties quoties opus esset, prout pro temporum,  
 locorum & occurrentium casuum varietate, & exigentia viderent expedire, condendi, ordinandi, &  
 promulgandi perpetuis futuris temporibus, dummodo ordinationes & statuta hujusmodi sacris canonibus  
 non obviarent, auctoritate Catholica prædicta facultate concesserat, prout in singulis Pii & Sixti  
 Prædecessorum prædictorum literis inde confectis plenius continetur, recolendæ memoriæ Alexandro  
 Papa VI. & prædecessori nostro pro parte tua exposito, quod à nonnullis timorata conscientia, dicti



ordinis religiosi, hæsitabatur, tunc Abbatem Præmonstratensem ultra se præter formam dictarum literarum nonnulla statuta ejusdem ordinis, diversimodè observabatur, cum aliqui juxta Pii à Dominica Septuagesima usque ad Pascha resurrectionis, alii verò per quindecim dies profestum omnium Sanctorum immediatè præcedentes, juxta Sixti literarum prædictarum formas, & quod deterius est, aliqui neutrum observabant, & propter hujusmodi varietatem & verba in eisdem literis Pii prædecessoris apposita, per quæ illis qui antiqua statuta observare soliti erant vel ad illa observanda induci possent, statuta ipsa relaxari minimè videbantur, & religiosorum conscientia non parvo scrupulo subjacebant: quanquam si in eodem ordine statuta pariformiter observarentur, & omnes indifferenter illa observare tenerentur, profectò inconvenientia & animorum perturbationes hujusmodi subnoverentur, & animarum saluti, & quieti ac tranquillitati conscientiarum, personarum hujusmodi plurimum consuleret. Et pro parte tam tua quam dilectorum filiorum Abbatum, Priorum Præpositorum, Priorissarum aliarum utriusque, sexus personarum dicti ordinis, eidem Alexandro prædecessori humiliter supplicato, ut animarum saluti personarum ejusdem ordinis circa præmissa opportunè providere de benignitate Apostolica dignaretur, Præfatus Alexander prædecessor, qui ad ea quæ Ecclesiæ decorem, sacra religionis, ac salutem animarum personarum, sub illius suavi jugo degentium salubriter dirigendum tendere dignoscebantur, paterna sollicitudine prospiciens, iis quæ circa id provida ministrorum ejusdem religionis ordinatione emanaverant, libenter cum ab eo petebatur Apostolici adjiciebat muniminis firmitatem, & alia desuper decernebat, & fieri mandabat, prout in Domino conspiciebat salubriter expedire, te ac omnes & singulas personas prædictas à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati eratis, ad effectum infrascriptorum duntaxat consequendum absolvens, & absolutos fore censens, hujusmodi supplicationibus inclinatus subdat. Videlicet quinto Idus Martii, Pontificatus sui anno undecimo, voluit & concessit tibi dari in mandatis, quatenus tu una cum omnibus & singulis Abbatibus & Prælatibus dicti ordinis, similiter pro generali capitulo ejusdem ordinis celebrando pro tempore congregatis, & ipsum capitulum generale facientibus, & representantibus, adhibito consilio aliquorum Canonorum ejusdem ordinis, qui illius statuta, consuetudines, & observationes melius noscerent, quæcunque ordinationes & statuta eatenus per Abbates & Prælatos dicti ordinis, circa modum vivendi personarum utriusque sexus ipsius ordinis, & edita . . . dummodo sacris canonibus non obviarent, & pro salute animarum cognoscendis expedire præfata auctoritate Apostolica approbaretis & confirmaretis ac suppleretis omnes & singulos defectus, si qui forsitan interveniant, in eisdemque decerneretis illa perpetuo observari debere: Et nihilominus abstinentiam ab esu carnum à Dominica in Septuagesima usque ad Pascha resurrectionis, aliaque super eodem esu per præfatum Pium prædecessorem concessa & moderata, ab omnibus & singulis ejusdem ordinis, utriusque sexus personis deinceps observari debere, eosque ex eisdem personis quos pro tempore proficisci contingeret extra monasteria, carnibus, prout illi ad quos divertent, vescantur, præterquam in Adventu Domini, & à Dominica prima in Septuagesima, usque ad Pascha resurrectionis hujusmodi posse vesci. Ac tam circa illos qui statuta hujusmodi observare soliti fuerant, & apud quos illa relaxata non intelligebantur, ac de quibus in dictis literis fit mentio, quam circa quascunque alias etiam utriusque sexus prædicti ordinis personas, quid & qualiter observare deberent, absque alia animorum inductione, limitatione, restitutione, arctitudine suspensione, dilatione seu conscientiarum scrupulis, tribus substantialibus votis, & ad illorum observantiam necessariis, quæ salva permanerent & observarentur, duntaxat exceptis, omnia, & singula statueretis, decerneretis, ordinareretis, & super hoc dispensaretis & disponeretis: quæ prædicto ordini & illius personis omnibus, communiter & divisim, ad pacem, quietem, tranquillitatem & animarum salutem earundem videretis expedire. Nec non antiqua statuta & consuetudines ipsius ordinis moderaremini, interpretaremini, & limitaretis, illisque adderetis & minueretis, seu etiam illa in totum annullaretis & tolleretis, ac nova quoties opus esset, prout juxta temporum, locorum, personarum & occurrentium casuum exigentiam expedire agnosceretis, conderetis, ordinareretis, & promulgaretis: dummodo ordinationes & statuta hujusmodi à sacris canonibus non deviant. Illaque ab omnibus personis prædictis inviolabiliter observari mandaretis, ac eas ad id per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia compellere, aliaque omnia & singula quæ in præmissis & circa ea necessaria essent, seu quomodolibet oportuna facere & ex æquo curaretis. Super quibus omnibus idem Alexander prædecessor vobis licentiam & facultatem concessit, ac statuit, decrevit, & ordinavit: quod deinceps perpetuò, quidquid per supradictos Abbates & Prælatos illorum successores capitulariter semel statutum, ordinatum, dispositum, moderatum & interpretatum, limitatum, additum seu detractum esset nisi per simile generale capitulum aut Abbates & Prælatos illud representantes, seu illius vel illorum duas ad minus partes, etiam tertia contradicente, infringi vel mutari vel alterari nullatenus posset: non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis & consuetudinibus monasteriorum & ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Ne autem de absolute, voluntate, concessione, licentia facultate, statuto, decreto & ordinatione Alexandri prædecessoris hujusmodi, pro eo quod per illis ipsius Alexandri literæ ejus, superveniente obitu



confecta non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, vosque illorum frustraremini effectu, volentes & præfata auctoritate Apostolica decernentes, quod absolutio, voluntas, concessio, licentia, facultas, statutum, decretum, & ordinatio Alexandri prædecessoris huiusmodi perinde à dicta die, V. Id. Mart. suam sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ sub eisdem die datæ confecta fuissent, prout superius enarratur quoque præfentes literæ ad probandum pleni absolutionem, voluntatem, concessionem, licentiam, facultatem, statutum, decretum, & ordinationem Alexandri prædecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Discretionis tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu una cum omnibus & singulis Abbatibus & Prælatibus ordinis huiusmodi, simul pro generali capitulo ejusdem ordinis celebrando pro tempore congregatis, & ipsum capitulum generale facientibus & representantibus ut præfertur, adhibito consilio aliquorum Canonorum ejusdem ordinis, qui illius statuta, & consuetudines & observantias melius noverunt; quascunque ordinationes & statuta hactenus per Abbates & Prælatos dicti ordinis circa modum vivendi, personarum utriusque sexus ipsius ordinis facta & edita, dummodo illa sacris canonibus, ut præmittitur, non obviet, & pro salute animarum cognoveritis expedire, auctoritate nostra confirmetis & approbetis suppleatisque omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem: decernentes illa perpetuo observari debere. Et nihilominus abstinentiam ab esu carniuum, à Dominica in Septuagesima usque ad Pascha resurrectionis, huiusmodi aliaque super eodem esu per ipsum Pium prædecessorem concessa & moderata ab omnibus & singulis ejusdem ordinis utriusque sexus personis deinceps perpetuis futuris temporibus observare debere, eosque ex eisdem personis, quas pro tempore extra dicta monasteria proficisci contigerit, carnis prout illi ad quos diverterent vescerentur, præterquam in Adventu Domini, & à Dominica in Septuagesima usque ad Pascha resurrectionis huiusmodi vesci posse tam circa illos qui dicta statuta observare soliti sunt, & apud quos illa relaxata non intelligantur, & de quibus in dictis literis fit mentio, quæ circa quascunque alias etiam utriusque sexus dicti ordinis personas, quid & qualiter observari debeant, absque alia animorum inductione, limitatione, restrictione, arctitudine, suspensione, dilatione, seu conscientiarum scrupulis. Tribus substantialibus votis, & ad illorum observantiam necessariis: quæ salva permaneant, & observentur, duxtaxat exceptis, omnia & singula statuta decernatis, ordinatis, & super hoc dispensetis & disponatis, quæ prædicto ordini, & illius personis omnibus communiter & divisim ad pacem, quietem, tranquillitatem & animarum salutem earundem videbitis etiam ut præfertur expedire. Nec non antiqua statuta & consuetudines ipsius ordinis moderemini, interpretemini, limitetis, illisque addatis & minuatis, seu etiam illa in totum annullatis & tollatis, ac novæ toties quoties opus fuerit, prout juxta locorum, temporum, personarum, & occurrentium casuum exigentiam expedire cognoveritis, condatis, ordinatis & promulgetis, dummodo ordinationes & statuta prædicta, ab eisdem sacris Canonibus non devient. Illaque ab omnibus prædictis personis perpetuo inviolabiliter observari mandatis, ac eas ad id per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia opportuna compellere, aliaque omnia & singula quæ in præmissis & circa ea necessaria erunt, seu quomodolibet opportuna facere & exequi juxta voluntatem & concessionem Alexandri prædecessoris huiusmodi auctoritate nostra curetis. Non obstantibus omnibus supradictis. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1503. 6. Kalen. Decemb. Pontificatus nostri anno primo, sic signo supra plicam Guil. de Enkeuoidt & à tergo R. Io.

ANNO 1518.

Adamus Abbas Præmonstratensis, & totius ordinis præfectus Generalis, vir admodum doctus, scripsit libros tres, studio atque industria Amati à fonte, Abbatis Cameræ fontis anno 1518. Parisiis in folio excusos. Primus est de ordine & habitu deque professione Canonorum Ord. Præmonstr. sermones XIV. continens. Secundus, de tripartito tabernaculo Moysis, Christi & Spiritus S. Tertius de triplici genere contemplationis.

Libet hic addere, quæ Crespetius, Doctor Theologus Parisiensis in summa Ecclesiastica Tit. Maria, de Adamo Præmonstratensi (isto an alio?) refert: Sed & cantum, inquit, atque officium nos habemus ab Adamo Præmonstratensi, Cardinale devotissimo editum, officio solennitatis Ecclesiastica per omnem modum in modulatione conforme. Hactenus Crespetius.

Lego & alibi Adamum quandam Ord. Præmonstr. Abbatem, scripsisse homilias in Evangelia & Epistolas, quæ Dominicis festisque diebus leguntur.

Et verò jure nobis hic commemorandus est Joannes Bracquius, Abbas XXVIII. Viconiensis, ejus verò nominis octavus, qui hæcæ temporibus, aucta æde sacra, alteraque turri exstructa, fontibus item variè deductis, variisque ædificiis in trianguli formam aptissimè dispositis, monasterium suum sic exornavit ut hodie non modò inter belgica monasteria, si ædificiorum aptam concinnamque, idque juxta Mathematicarum arithm præceptiones, spectes elegantiam, primas ferat, sed nec in Italia quidem aut in Hispania facillè invenias, quod superet, aut comparetur.

(O 2)

Septem



Septem Ord. Præmonstr. per Brabantiam Abbates, *Antverpiensis, Grimberganus, Parcensis, Helissimensis, Averbodiensis, Tungerloanus, & Diligemicensis*, inito fœdere, mutuas sibi operas ac subsidia, adversus quoscunque sui Ordinis oppugnatores addixerunt, & diplomate Mechliniæ an. 1519. Aug. 22. dato firmaverunt.

ANNO 1530.

Hoc anno monasterium Nobilium Virginum *Celle Dei inferioris* (quod an. 1530. apud *Cellam Dei superiorem*, primum diximus fundatum, posteaque ad locum nonnihil inde distitum translatum) in Præposituram virilem Monachorum est conversum. *Bruschius in Chronol. monast. Germ.*

ANNO. 1548.

*Nicolaus Pfaulme*, Lotharingus Juris Pontificii Doctor Parisiensis, ex Abbate S. Pauli ad muros urbis Virdunensis, creatur Episcopus ejusdem urbis an. 1548. Fuit vir admodum sedulus in Clero populoque sibi subjectis, cum verbo tum exemplo reformatis atque instituendis *Wasseburg. Antiq. Gallie Bel. l. 7.*

ANNO 1557.

*Martinus Petromanus* Lovan. monasterii Plucensis eleemosynarius annos 58. in familia Norbertina piè exegit, obiitque Kal. Mart. 1557. *Scriptit in Regulam S. Aug. Itemque de virtutibus commentarium, & alia, quæ apud Parcenses exstant manuscripta.*

ANNO 1565.

Virduni in Lotharingia an. 1565. Patrib. societatis Jesu collegium exstructum est à *Nicolao*, ejus urbis Episcopo, è familia Præmonstratensi: teste *Petro Ribadineira*, ejusque interprete *Andrea Scotto*, in vita *Francisci Borgiæ l. 3. cap. 9.*

ANNO 1570.

Collegium Theologicum Præmonstr. in Academia Lovan. initium nunc cæpit.

ANNO 1571.

*Carolus n. van der Linden*, Abbas Parcensis, *Ægidius Heinsius* Abbas Averbodiensis, & *Michael Malenus* Abbas Niniensis, cum amplas ædes Lovanii sitas, communib. expensis abs *Gerardo à Campenhout*, Abbate Grim. emissent, societate inita, eas ipsas an. 1571. ad Collegii usum formamque pro suorum monasteriorum alumnis adaptarunt, certisque conditionibus initis, dotem aliquam singuli ad duos candidatos in studiis alendos contulerent. Placuit id consilium in primis *Laurentio Metsa*, Episcopo Silviducensi, eidemque Abbati Tungerloensi, itemque *Guilielmo Comiti*, ad D. Michaelis Antverpiæ Abbatu; qui paulò post trium Abbatum nominatorum institutioni subscripserunt. Accessere & alii postmodum Belgii Abbates. Floret autem hodieque Collegium hoc Præmonstratanum Lovaniense ingeniis & alumnis, uti & *Salmaticense* in Hispania, & *Parisiense* in Gallia, de quo supra anno 1294. diximus.

ANNO 1572.

*Brila*, quod est Zelandiæ opidum, ad ostium Mosæ fluvii, duo instituti Præmonstratensis Canonici cum aliis septendecim: quorum undecim *Franciscani* erant, martyrio coronati sunt. Prior fuit *Hadrianus*, *Hiluaribecanus*, à celebri ejus nominis in Campania Brabantina municipio, sibi natali, sic nominatus. Is *Middelburgi* apud Zelandos Ord. Præmonstr. institutum anno circiter 1547. amplexus, cum in dicto monasterio an. 25. continuos summa vitæ integritate, exegisset, anno demum 1572. sub festum Paschæ, *Monasterium* (qui vicus est in extremis Hollandiæ finibus, ubi Mosæ in Oceanum influit, situs, vulgò *Munster* dictus) à suo præfule mittitur, *Paræcus* ejus loci futurus, quod ejus loci pastor (cui item *Hadriani* nomen fuerat) paulò ante è vita excessisset: nihil ille tergiversatus, solo obedientiæ nomine injunctam sibi provinciam promptissimè suscepit, etsi admodum periculofam, ob efrænatam hæreticorum, apud Belgas id temporis omnia turbantium, audaciam. Elegerat eum nimirum Deus, qui paucis post mensibus gloriosa sua morte, familiam Præmonstratensem clarificaret. Itaque sub initium Julii una cum subsidiario Presbytero contubernali suo (de quo mox dicemus) noctu domi suæ comprehensus Geusi is abs Piratis *Brilam*; in quo opido *Gorcomiani* undecim *Franciscani*, aliique sacerdotes captivi tum detinebantur, est avectus, & cum iisdem ab hæreticis interfectus



perfectus. Relatum est autem postea de *Hadriano* à nonnullis, tunc illius carceris ac miseriam lociis, insignem ejus in vultu, moribus, sermone modestiam cum pietate eluxisse: atque in tolerandis injuriis dignam Martyre fortitudinem; prorsus ut suo exemplo cæteris captivis non parum ædificationis attulerit: à quibus vicissim ob suas virtutes in magna veneratione est habitus.

Alter fuit *Jacobus*, cognomento *Lacopius*, Aldenardæ in Flandria natus Præmonstrat. item instituti apud Middelburg. Canonicus, prompto subtilique vir ingenio, quæ & humaniorib. disciplinis & linguarum studiis diligenter excoluerat. Cæterum an. 1566. quo Iconomachorum furor primaria aliquot Belgii opida pervasit, inter alios alibi nonnullos *Lacopius* quoque Deo sic permittente, qui electis suis omnia cooperatur in bonum ab Hæreticis miserè seductus, ac male persuasus, primum apud Fratres in monasterio linguam suam adversus Ecclesiæ sacramenta, & ejusque dogmata juveniliter ac petulanter, ne dicam impiè, laxavit moxque monasterii desertor, apud hæreticos concionandi munus obivit, & libellum hæreticæ procaci stylo conscripsit, titulo *deplorationis Aureæ Legendæ*. At verò in hac tanta animi cæcitate non diu permanere eum passus est misericors Deus, sed citò satanæ faucibus ereptam errabundam oviculam, caulis Ecclesiæ suæ benignus pastor restituit. Namque post paucos menses *Jacobus* facti pœnitentia ductus, ad monasterium suum reversus est, veniam errati coram universo fratrum conventu rogavit, errorem hæresimque omnem revocavit, abjuravit, execratus est. Scriptum quoque à se libellum suis ipse manibus in ignem conjecit. Posthæc injunctam sibi pro peccato satisfactionem & humiliter subiit, & obedienter implevit. Missus dein probrî obliterandi causa, ad aliud quoddam ejusdem ordinis monasterium, in Geldriæ partibus, cui nomen *Insula Mariæ* vixit ibi honestè, religiosè, inculpate. Quin etiam nonnulla in eo monasterio scripsit adversus hæreticos; studens nimirum hac ratione sarcire damnum animarum, siquod ante seu scripto seu verbo dedisset. Eam sanè, quam dixi, monasterii desertionem, nescio unde cognitam: fertur Comes *Lumnus* (quo Tyranno jubente ipse cum cæteris mortem passus est) illi, cum ab ipsius ministris examinaretur, objecisse, atque *Lumnio Lacopius* ita respondisse, ut factum quidem non negaret sed ab errore sic se correctum ostenderet, ut à veritate jam certius agnita, Deo propitio, nulla pœnarum acerbitate sese passurus esset abstrahi: Fuerat autem *Jacobo* frater *Hermannus*, idem ille, qui proximè apud Monasterienses paræcum egerat, vir pius, prudens, & Catholicorum dogmatum apprimè studiosus: qui & parentes ambos pauperes debito profecutus honore, domi apud se aluerat. Huic *Jacobum* in pastoralis munere socium & auxiliarem presbyterum adjungi tandem placuit; ea maxime gratia, uti tum in iis quæ pietatis sunt, tum in fide Catholica *Jacobus*, qui dudum infelicitè aberraverat, exemplo atque institutione domestica magis etiam confirmaretur. Qui post fratris obitum, ejus successoris relictus curarum pastoralium socius, mox beatæ quoque passionis cum eo consors effectus est, annos natus triginta plus minus. Itaque ad hunc modum (ut verbis utar pii cujusdam monachi, de iis in Epist. ad amicum scribentis) hi duo viri candidi ordinis ambo, candidas in Agni sanguine laverunt stolas suas. *Ita ferè Guilielmus Estius Doctor Theologus & Cancellarius Duacensis in historia Martyrum Gorcomiensium. lib. 3. cap. 38. & 39.*

ANNO 1576.

Decemb. 22. Obiit *Carolus van der Linden*, Patricius Lovaniensis, Abbas Parcensis cum annos 18. laudabiliter præfuisset. Fuit vir omninò egregius, & studiorum fautor ac Mæcenas admodum liberalis, quique Collegii Præmonstr. in Academia Lovaniensi instituenti in primis auctor ac promotor existit, duab. etiam bursis (ut vocant) ad id relictis, & Parcensi monasterio novis ædificiis egregiè aucto.

*Michael Malenus*, Ninivensis, in Flandria Abbas, anno 1576. in festo S. Bartholomæi consecratus, Vir græcè latineque doctissimus, ad populares in Catholica religione continendos *Stanislai Hosii* Cardinalis librum de expresso Dei verbo Teutonice reddidit. Scripsit item conciones atque orationes varias in Synodis Episcopalibus & Præmonstratanis, ab se habitas, aliaque. Fuit admodum amans doctorum virorum, in his *Georgii Bulloei*, Angli Doctoris Theologi, cujus extat *œconomia methodica* concordantiarum sacræ scripturæ, typis Plantiniani excusa, eidemque Maleno inscripta. Obiit autem Malenus Bruxellis an. 1578. Octobris 18. in Ecclesia S. Gaugerici ibidem conditus.

Anno eodem obiit *Guilielmus Dupasius*, Gemblacensis XL. Abbas Floressiensis, vir omnium disciplinarum, atque imprimis literaturæ, politioris admodum peritus.



ANNO 1577.

Scriptis is *poemata sacra*, Leodici anno 1577. typis edita. Hujus cura in paræciali Ecclesia Floreffiensi celeberrima venerabilis Sacramenti sodalitas instituta est, idque sub regimine XII. patrum: quibus Abbas ipse Floreffiensis præsidet. Fuit autem hæc olim sodalitas à Paulo III. Pont. Max. primum excitata, multisque privilegiis atque indulgentiis ab eodem anno 1509. exornata. Postea verò Rudolphi Cardinalis Carpenſis opera, petente id dicto Dupasio, cum Floreffiensibus est communicata anno 1561. Præfuit *Dupasius* annos 26. obiitque Leodici (quo sese ob bellicos tumultus receperat) anno Christi ut diximus, 1578. Et ibidem conditus in monasterio Belli-Reditus.

ANNO 1578.

Eodem anno 22. Junii obiit *Sibrandus Leonius* Leovardiensis, Lidlumenſis monasterii apud Franikeram Friſiæ opidum Canonicus Præmonstratenſis, & Pastor Menaldomenſis. Fuit vir variè admodum doctus primusque tabulam geographicam Friſiæ deliniavit, à Jacobo Daventriensi N. Hogenbergio, ac demum ab Abrahamo Ortelio in Orbis terrarum Theatro editam. Scriſit idem eleganti stylo historiæ & catalogum Abbatum *Horti B. Mariae*. Itemque monasterii Lidlumenſis, nondum typis editum: quo nos in hoc chronico adornando non ſemel uſi ſumus. Collegerat idem plurima (ut erat in historiis verſatiffimus) de Friſiorum rebus in Syria ad Damiatam, & alibi fortiter geſtis: quibus ſe ad historiæ Friſiæ illuſtrandam, non mediocriter adjutum fuiſſe teſtatur *Siffridus Petrus* decade 13. de Scriptoribus Friſiæ cap. 7. ubi plura in hujus viri laudem legas.

*Engelbertus Beets*, Holiensis, Religioſus Tungerloenſis, & Pastor in Rampnis apud Brabantos VII. Id Jan. an. 1579. ab impiis latronibus occiſus eſt.

*Gulternus Schuyſſeus*, Duſſelii, ex Priore Tungerloenſi, Pastor in *Quedendael*, Campaniæ Brabanticæ pago à Prædonibus hæreticis xi. Kal. Septemb. an. 1580. eſt trucidatus.

ANNO 1582.

Cùm *Joannes Molanus*, Doctör Theol. Lovan. de Eccleſiaſtica historia optimè meritis, Uſuardi Martyrologium cum indiculo Sanctorum Belgii edidiſſet, non ſine Dei numine factum eſt, ut in dicto indiculo iſta de S. Norberto ſcriberet. *Norbertus Sanctenſis, fundator Ord. Præmonſtr. & Archiep. Magdeburgenſis*, nondum eſt Catalogo Sanctorum inſcriptus, haud propter inopiam meritorum, quæ ampliffima habuit, ſed, ut opinor, quia id Ordo à Romana ſede petere neglexerit. Quæ quidem verba, *R. D. Ambroſium Loots*, monasterii Parcenſis, ad muros Lovaniennes Abbatem ſic pupugerunt; proſus ut ad *Joannem à Pruetis*, Abbatem tunc Præmonſtratenſem adeoque univerſi ordinis Principem, ampliffimas literas daret, quibus eum de nota iſta negligentiae abolenda hortabatur. Quo factum eſt, ut dictus Dominus Joannes à Pruetis, per illuſtriſſ. Card. *Philippum Boncampagnium*, Ord. Præmonſtr. protectorem, ſedulò Romæ ageret de B. Norberto Canonizando (ut vocant) ſeu Catalogo Sanctorum à Gregorio XIII. Pontif. Roman. adſcribendo. Itaque dum eo fine ſcrinia & bibliothecæ excutiuntur, & luculenta ſanctitatis teſtimonia quærentur, inventum eſt Romæ in bibliotheca Vaticana ſcriptum ampliffimum, à multis retro annis ad ſolemne ejusdem canonizationem (ut vocant) adornatum. Quo quidem diligenter excuſſo Gregorius XIII. Pont. Max. diplomate de feſto S. Norberti ſolenniter die 6. Jun. celebrando, alterumque de indulgentiis eodem die apud Præmonſtrat. promerendis evulgavit. Nec abs re fuerit utrumque hic attexuiſſe.

## GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Immenſa diviniſſimæ ſapientiae altitudo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, dignata eſt olim per Prophetam revelare, Deum laudari velle in Sanctis ſuis: Quod nos ad ſanctorum memoriam debita ſolennitate celebrandam ad magis inſpirat, quia dum eorum merita recenſentur, virtutum quoque exempla fidelibus ad imitandum proponuntur, ut per ea gradientes, ipſi pariter ad caeleſtem beatitudinem Sanctorum ſuffragiis, adjuti, facilius valeant pervenire. Quapropter nos, qui fide dignorum, præcipue dilectorum filiorum Philippi, tituli S. Sixti præſbyteri Cardinalis, Boncampagni nuncupati, majoris Pœnitentiarii noſtri, & Præmonſtr. Ord. protectoris, ac Joannis Abbatibus, monasterii Præmonſtr. Laudunenſis diœceſis relatibus intelleximus, quod præſatus ordo à B. Norberto, eximia ſanctitatis viro, qui etiam Eccleſiæ Magdeburgenſi præſuit jam ſupra 400.  
amos



annos fundatus & institutus fuit; dignum, quin potius debitum reputamus, quod B. ipse Norbert. in veneratione ac honore habeatur in terris, qui nunc honoratur in caelis, & cujus vita bene placens Deo plurimis claruit miraculis, sicut fide digna gravium auctorum monumenta testantur, Joanni Abbati ac universo Ordini Praefectis, ut erga Patrem suum gratos & devotos filios se valeant exhibere in perpetuum, ut festum ipsius S. Norberti Confessoris atque Pontificis die 6. Junii, qua idem S. Norbertus ex hac vita migravit ad caelum, eum sua Octava officio duplici de uno Confessore ac Pontifice in omnibus & singulis dicti Ord. monasteriis Ecclesiis & locis anniversaria solemnitate in perpetuum celebrare, ac ejusdem Sancti commemorationem quandocunque alia consuetae commemorationes ex monastico dicti Ord. instituto vel ritu fieri debent, facere, nec non praefatum S. Norber. qui in plurib. Martyrologiis usu Catholicae Ecclesiae receptis sub ipsa 6. die Jun. descriptus & annotatus reperitur, in Calendario ejusdem ordinis, tantum sub eodem die Junii pro festo duplici cum sua octava describere, & annotare liberè & licitè valeant, per praesentes concedimus. Sicque ab omnibus praefati ordinis utriusque sexus regularibus personis, pro tempore existentibus perpetuè observari debere Apostolica auctoritate tenore praesentium mandamus, statuimus, & ordinamus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis & ejus monasteriorum, juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque volumus aut quod earundem praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, subscriptis, & sigillo dicti ordinis aut alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, mandati, statuti, ordinationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac B. Petri & Pauli Apostol. ejus se noverit incursum. Datum Rom. apud S. Marcum anno Incarnationis Domini 1582. 5. Kal. Aug. Pontif. nostri an. II. Sic subscriptum L. Thifius Deinde sic, Romae apud haeredes Antonii Bladii Impressores Camerales 1582. Deinde sic Leonardus Thifius Notarius publicus in Archivio Rom. Cur. descriptus subsignavit: Et superimpressum erat sigillum Reverend. Domini Card. S. Sixti, protectoris Ord. Praemonstratensis.

## GREGORIUS PAPA XIII.

UNIVERSIS Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem & animarum salutem, caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè poenitentibus & confessis, ac sanctissimo Eucharistiae sacramento refectis; qui quaslibet Ecclesias ubilibet constitutas Ordinis Praemonstratensis, tam virorum quam mulierum die festo S. NORBERTI, dicti ordinis fundatoris, à primis vesperis usque ad occasum ejusdem festi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro pace inter Christianos Principes conservanda, ac haeresim extirpatione, sanctaeque Matris Ecclesiae exaltatione, & ejusdem ordinis augmento pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus usque ad annum Jubilai exclusivè duntaxat valituris. Volumus autem, quod earundem praesentium transumptis, manu Notarii publici subscriptis & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur quae ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensa. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 15. Aug. MD. LXXXII. Pontif. nostri anno II. subscriptum Cas. Glorierius.

ANNO 1583.

Jan. 12. Obiit R. D. Ambrosius Loots, Leodius, Abbas Parcensis, cum annos sex praefuisset; hoc nomine aeterna memoria dignus, quot, uti supra diximus, ferè auctor & princeps exstiterit, ut S. Norber. Praemonstr. familiae Patriarcha, Divorum tabulis ab Apostolica sede inscriberetur.

ANNO 1584.

Antonius Rhodius à Grafen, Lovaniensis, Religiosus Parcensis meditabatur edere historiam vitae S. Norberti ad manuscripta exemplaria collatam, Notisque à se illustratam; sed mors praeveniens pios hosce conatus rescidit: Obiit autem S. Theolog. Baccalaurus formatus 26. Sept. an. 1584. Cujus quidem laboribus in parte adjutos nos esse libenter agnoscimus.

Bartholomaeus Honorius Canonicus Florentiensis, hoc anno edidit Silvae Ducis apud Brabantos in Tabula duplici elogium S. Norberti, & catalogum celebriorum Ord. Praemonstr. per universum orbem, Abbatiarum.

(P 2)

ANNQ



## 60 CHRONICON ORD. PRÆMONSTRAT.

ANNO 1587.

Hoc an. 2. decemb. obiit vir pientissimus *Hadrianus Estius*, Gorcomiensis, frater eximii viri *Guiljelmi Estii*, Doctoris Theologi, & Cancellarii Duacensis. Is adolescens adhuc, factus est Religiosus in *Insula B. Mariae*, in confinibus Gelriæ. Quo monasterio ab Hæreticis vastato, ad Parcense monasterium apud Lovanium venit, ibidemque Supprior ac Magister Novitiorum diu fuit, ac demum Prior Antverpiæ ad Divi Michaelis electus, monasticam ibid. disciplinam revocavit, ubi & piè in Domino obdormivit.

ANNO 1597.

*Joannes à Pruetis*, Doctor Theol. Abbas Præmonst. & totius Ord. Præfectus Generalis obiit. Vir fuit sanè eximius, optimeque de ordine universo meritis. Scripsit latinè doctissimum libellum, in quo docet, non esse disputandum cum hæreticis. Gallicè verò scripsit Responsum ad Epistolam *Francisci Perrocelli*, pro defensione SS. Missæ sacrificii. Gallicè item, pro veritate corporis Christi in Eucharistia respondit ad 37. argumenta objecta à *I. de Spina Ministro Calvinista*. Exstant hi tres libri excusi Lutetiæ Parisiorum.

*Michael Malcorpius*, Fossianus, Helicesimensis in Brabantia Religiosus, vitam *Sancti Norberti*, eleganti carmine elegiaco à se conscriptam hoc anno Leodici typis excudendam curavit.

ANNO 1599.

Eodem anno *Caspar Gellius*, Distemius Brabantus, Floreffienfis Abbatia Canonikus, Lovanii sua poemata sacra evulgavit: in quibus est poema heroicum, de *Præmonstratensis Ordinis origine alterumque de Divi Norberti vita*. Ac mihi quidem suo quisque carminis genere in ejusdem argumentis tractatione videtur excellere.

ANNO 1601.

Januar. 23. Obiit *Gerardus Trunus*, Canonicus Tungerloensis, & Paræcus Rhetensis, in Campania Brabantina, qui ut erat Mathematicus præstantissimus, varia ingenii sui monumenta, artisque instrumenta reliquit. Atque instrumenta quidem, quæ erant plurima, atque eximia, *Ernesto* Bavaro Colonienfi ac Leodiensi Antistiti, harum rerum amantissimo, dono dedit. Scripta verò adservant sodales Tungerloenses: suntque ista, *Tabula sinuum*. De ortu & occasu, de mediatione cæli siderum liber. *Tabule ascensionum rectorum & obliquarum* ad singula minuta, & obliquationes ad singula minuta. *Altitudo solis* in quolibet gradu ad singulas horas, ad latitudinem 51. graduum, & 20. minorum. *Tabule Paralapis*, seu diversitatis aspectus ad latitudinem 51. graduum & 20. minorum. *Liber de usu quadrantis Astrolabii Tabule multiplicationis 100. 1020. Canon equationis ad singula minuta*. *Kalendarium historicum & poeticum*, exhibens solis locum in Zodiaco ortum & occasum, quantitatem diei ac noctis, nec non præcipuarum stellarum inerrantium ortus & occasus cum sole, ad annum 1590. in Tabula. *Tabula festorum mobilium* ab an. 1582. usque 2201. & alia nonnulla.

*Christophorus Pilckmannus*, Bonnensis Religiosus *Steinveldensis*, & monasteriorum Westphaliæ Superiorum jussu olim quidem reformator, nunc autem proprii cænobii moderator, ac pius admodum monasticæ strenuusque disciplinæ Zelator, edidit in patenti folio Coloniae *Paradisum religiosæ voluptatis & vitæ religiosæ typicam descriptionem*.

ANNO 1603.

*Servatius Larvelius*, Sonegiensis, Hanno Doctor Theol. Abbas *S. Mariae ad Nemus*, in Lotharingia apud Mussipontum & Vicarius Generalis universi Ord. Præmonstr. vir egregiè doctus, scripsit *Commentarios in Regulam D. Aug.* in cxii. specula distinctos quos *Opticam Regularium* nuncupat, Mussiponti anno 1603. in 4. editos in quibus multa habentur ad ordinem Præmonstratensem pertinentia. Sub finem additur Index cænobiorum ejusdem Ordinis Præmonstratensis.

F I N I S

CHRONICI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

INDEX





# INDEX

## MONASTERIORUM ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS, QUORUM FERÉ ORIGINES IN HOC CHRONICO EXPLICANTUR:

A. ID EST ABBATIA: D. ID EST DIOECESIS.

### CIRCARIA SEU PROVINCIA FRANCIÆ.

- P**ræmonstratum, *Diœcesis Laudunensis, totius ordinis mater & caput.*  
 S. Martini *Abbatia, in urbe & D. Laudunensi.*  
 Cuiſſiacum, *D. ejusdem.*  
 Brana, *sive Brema, D. Sueſſionensis*  
 Charthonorum, *D. ejusdem 2. lapide à Brana.*  
 Vallis Christiana, *D. Sueſſionensis 2. lap. à Valle Serena.*  
 Vallis Serena, *D. ejusdem 3. lap. à Sueſſione.*  
 Vallis Serena, *D. ejusdem dimidia leuca à Caſtro S. Theodorici.*  
 Locus Restauratus, *D. ejusdem, haud procul oppido Crepiaco.*  
 Bonolium, *D. Meldensis, Præpoſitura, Monasterio Præmonſtratenſi nunc incorporata.*  
 Camera fontis, *D. ejusdem in Dom. Martinum in Goella & urbem Meldensem.*  
 S. Salvatoris *prioratus in urbe Pariſenſi nunc deſiit.*  
 Hermeriæ, *D. Pariſenſis 4. lap. à Lutetia.*  
 Dei locus, *D. Senonenſis in Ducatu Burgundiæ. Anno 1135. fundatum eſt à Monacho Altiſſiodonenſi in Auſtario à nobis poſt Chronicon edito.*  
 S. Pauli *Abbatia ad menia urbis Senonenſis.*  
 S. Mariani *Abbatia, D. Altiſſiodonenſis, olim extra, nunc intra muros urbis Altiſſiodonenſis.*  
 Bellus Locus, *A. D. Trecenſis in Campania, circa an. 1609. infulas ſeu mitras à Clemente VIII. impetravit. V. Auſtarium.*  
 Capella, *D. ejusdem virginum, ut colligi videtur ex eodem Roberto Altiſſiodonenſi V. Auſtarium.*  
 Moncellum, *D. Catalaunen.*  
 Vinarienſis, *A. apud Sueſſiones.*  
 Notet Lector jam inde ab initio institutionis omnium ferè Monasteriorum, *Franciæ & Belgii Præfectos dictos eſſe Abbates; Germanicorum autem cœnobiorum Præfectos plerumque dictos eſſe Præpoſitos, quorum tamen plerisque poſtea Abbatis Titulus ac dignitas acceſſit, ex indulto Apoſtolico.*

### CIRCARIA FLOREFFIÆ.

- F**loreffia, *A. D. Namurcenſis.*  
 Mons Cornelii *olim extra nunc Bellus.*  
 Reditus, *A in urbe & Diœceſi Leotienſi.*  
 Heliffemium, *A. D. ejusdem in Brabantia.*  
 Leffia, *A. D. Leodiens. apud Dionantium.*  
 Bona Spes, *A. D. Cameracenſis, apud Binchium Hannoniæ oppidum.*  
 S. Foillani *Abbatia apud Rhodium Hannoniæ oppidum D. ejusdem.*  
 Clarus Fons, *D. Laudunensis, apud Capillam oppidum in Tieraschia.*  
 Tenolium, *D. ejusdem in Tieraschia, haud longè à Veruino.*  
 Bucillum, *D. ejusdem.*  
 Clavus mons, *D. Remenſis.*  
 Septem fontes *in Tieraschia, D. ejusdem.*  
 Mare alias Vadum, *D. ejusdem, ſic dictum ab anne præterfluente.*  
 Vallis Dei, *D. ejusdem.*  
 Wanzia & Hinsberga *monialium, D. Leodien.*  
 Harlaimunda *in Hannonia.*

### CIRCARIA PONTIVI.

- S**eriacum in pratis, *D. Ambianenſis.*  
 S. Judoci in Nemore, *alias Dom. Martini Abbatia in Artesia, D. ejusdem.*  
 S. Andreæ in Nemore *apud Heſdinium Arteliæ oppidum, D. ejusdem.*  
 Selincurtis S. Petri *in Picardia, D. ejusdem.*  
 S. Joannis Ambianenſis, *A olim extra, nunc intra muros Ambianenſes, D. ejusdem.*  
 Beſſunum *D. ejusdem.*  
 S. Juſti *Abbatia, D. Bellovacen. haud procul Bellovaco.*

Collect. Script. Monast. Tom. VI.

(Q)

Mar.



## INDEX.

Marchadium Radulfi, *D. Rotomagensis*. 20. lapide à Reffonio.  
 Reffonium, *D. ejusdem*.  
 Alba curia, *D. Carnotens.* in qua aliquamdiu egit *S. Thomas Cantuariensis*.  
 Gaudii Vallis, *D. ejusdem*, in qua *Sancti Bartholomæi Apostoli reliquæ* magno hominum concursu  
 honorantur & asservantur. In eodem Monasterio propè fontem quendam reperta dicuntur insignia  
 regni Gallie divinitus allata.  
 Grandis Campus, *Diœcesis ejusdem*.  
 Ardenſe Monasterium.

### CIRCARIA BRABANTIÆ.

*S. Michaelis Abbatia*, in urbe & *D. Antverpiens.*  
 Tungerloa, *Abbatia D. Silviducensis*,  
 Parcum *A. D. Mechliniens.* apud Lovanium.  
 Grimberga, *A. D. Mechliniensis* apud Viluordiam.  
 Diligemium, *A. in pago Jette apud Bruxellam, D. ejusdem*.  
 Vallis liliorum, monialium, olim extra, nunc in urbe Mechliniens.  
*S. Cornelii Abbatia* in oppido Ninoviensi, seu Ninivensi, in Flandria, *Diœcesis Gandensis*.  
 Auervodium, *D. Leodiensis*.  
 Insula Ducis in pago Gempe, monialium, inter Lovanium & Distemium, *Diœcesis Mechliniensis*.  
 Cæsareum nemus vulgò *Kaysersbosch*, monialium apud Ruremundam in Geldria, *D. Ruremunden*.  
 Middelburgensis *Abbatia* in Valachria Zelandiæ Insula, *D. Middelburgensis*.  
 Vallis Dulcis, monialium, ibidem & *D. ejusdem*.  
 Berna, *A. apud Silvam Ducis, D. Silviducensis*.  
 Wortense Monasterium *Virginum*.  
 Hortus conclusus *B. Mariæ*, monialium, in oppido Herentalensi, *D. Antverpiens.*  
 Monasterium vetus in oppido Bredano *diœcesis Antverpien.*  
 Campus Regius in Hollandia, *Monialium*.  
 Rekemense cœnobium monialium apud Trajectum ad Mosam *D. Leodiensis*.  
*S. Gerlaci cœnobium*, monialium, *D. Ruremundensis* in tractu Limburgensi.  
 Postula, *Prioratus & Hospitale celeberrimum*, in Brabantia, *D. Sylviducensis*.  
 Mons *S. Joannis* apud Masdicam, *D. Leodiensis* desit.

### CIRCARIA FLANDRIÆ.

Mons *S. Martini*, *A. D. Cameracensis* apud Castelletum Picardiæ oppidum.  
 Veromandia, *A. D. Noviomen. veterum Veromandorum à Julio Cæsare celebratorum sedes*,  
 Viconia, *A. D. Atrebatensis*, apud Valentinianas in Hannonia.  
 Castellum *S. Martini* seu Mortaniæ, *A. D. Tornatensis* ad Scaldis & Scarpi confluentem.  
 Truncinium, *A. in urbe & D. Gandens.*  
*S. Nicolai Abbatia Furnensis* in Flandria.  
 Lisquense Monasterium, *D. Boloniens.*  
*S. Augustini Abbatia Morinens.* *D. ejusdem*.

### CIRCARIA LOTHARINGIÆ.

Bella vallis, *D. Remensis*.  
 Septem fontes, *D. Lingonensis* propè montem claram.  
*S. Mariæ in Perca, D. ejusdem*.  
 Tanduriæ, *D. Tullensis* non procul à Bano urbe, hic censetur esse capitulum totius ordinis pulcher-  
 rimum.  
 Touillare, *D. ejusdem*, loco saluberrimo in colle situm & inchoatum circa an. 1141.  
 Regia vallis, *D. ejusdem*.  
 Domus Dominarum, *D. ejusdem*, olim fuit monialium.  
*S. Mariæ in Nemore Abbatia, D. ejusdem.* Habet tres prioratus. Blanzejum, juxta Nancejum  
 palmare apud Metas, & Flimum, juxta Nomeniacum.  
 Cella Dominarum, *D. ejusdem* desit.  
 Regis-Vallis sive Rengisvallis, *D. ejusdem* 3. lapide à Tullio constructa circa anno 1160. & dotata  
 prædiis *Hauvidacæ* committissæ, asperi montis. *Petri Episcopi Tullensis & aliorum*.  
 Miravallis non longè à novo castro.  
 Bonum fagetum, *D. ejusdem* 2. lap. à Mirecurio oppido inter arbores Fagos situm.  
 Stivagium, *D. ejusdem* inter montes Vosagiæ ad Mortam flu. situm, fuit olim Ordinis *S. Benedicti*  
 à *B. Richarda Imperatrice, Caroli Imperatoris conjugæ* fundatum. Habet jurisdictionem amplissi-  
 mam & privilegia quedam Episcopalia.  
 Flabonis mons, *D. ejusdem*, non procul à comitatu Burgundiæ.  
 Stagnum, *D. Verdunensis* apud Hattonum castrum.

S. Pauli



## INDEX.

- S. Pauli *Viridunens. Abbatia*, olim extra nunc in urbe & *Diœcesi Viridunensi*.  
 Vallis, *D. ejusdem*.  
 S. Crucis, *A. olim extra nunc in urbe, & D. Metens. quæ Abbatia bodie S. Eligii dicitur*.  
 Justus Mons, *D. ejusdem apud Theonis villam*.  
 Salviæ vallis aliis Salinæ vallis, *D. ejusdem*.  
 Bellum stagnum, *D. ejusdem, præpositura olim juxta metas, cum Salivæ valle nunc unita*.  
 Wandium olim *Monialium. D. Catalaunensis, habet unicum incolam Præpositum, S. Pauli Viridunens. Canonicum Regularem*.

### CIRCARIA BURGUNDIÆ.

- Carneolum, *D. Vesontionensis, primo lapide ab oppido Greji situm*.  
 Bellus Campus, *D. ejusdem*.  
 Ecclesia de vallibus, *D. ejusdem*.  
 Lacus, *diœcesis Lausanensis*.  
 Humilis Mons, *D. ejusdem*.  
 Fons Andreæ, *D. ejusdem*.  
 Laus Dei, aliis *Gottes, D. ejusdem*.  
 Bellalagia, *D. Basileensis, cœnobium insigne*.

### CIRCARIA ARVERNIÆ.

- Doa, *D. Aniciensis*.  
 S. Gilberti *Abbatia, D. Claromontensis*.  
 S. Andreæ, *A. in suburbano & D. Claromonten.*  
 Bella vallis, *D. Nivernensis*.  
 Prædium, *D. Andegavensis*.  
 Locus Dei in Iardo, *D. pictaviensis, cœnobium opulentissimum*.

### CIRCARIA NORMANNIÆ.

- Lucerna, *D. Abrincensis*.  
 Blancalanda, *D. Constantiensis*.  
 Ardena, *D. Bajocensis, 2. lap. à Cadomo*.  
 Bella Stella, *D. ejusdem*.  
 Mons Auxilii, *D. Legoniensis*.  
 Mons Dei, *D. ejusdem*.  
 Falesia, *D. Hagiens.*  
 Siliacum, *D. ejusdem*.  
 Insula Dei, *D. Rotomagensis*.  
 Bellefana, *D. ejusdem*.  
 Bellus Portus, *D. Briocensis ad Oceanum; in Britannia inferiore prope Insulam Brehac, & oppidum Pimpone*.  
 Stella *Diœcesis Carnotensis*.

### CIRCARIA VASCONIÆ.

- Cambalonga, *D. Auxitana, cœnobium insigne*.  
 Casa Dei, *D. Conseranensis*.  
 Gratia Dei, *D. Aduensis*.  
 Capella, *D. Tolosana.*  
 Fons calidus, *D. Narbonensis*.  
 Villa Dei, *D. Aquensis*.  
 Arcofium sive Arthofium, *D. ejusdem*.  
 Fontia, *D. Bajonens.*  
 Urdatum vulgò *Urdais, D. ejusdem*.  
 Lidatum, *D. ejusdem*.  
 Plana Silva, *D. Burdigalensis*.

### CIRCARIA HISPANIÆ.

- Quæ habet statuta quædam popria typis excusa in ea Abbates sunt triennales, alibi autem perpetui ad vitam,  
 Retorta *D. Palentina.*  
 S. Crucis de Moncon.  
 Villa major.  
 Villa Medianilla, *D. Burgenfis*.  
 Aquilar, *S. Michaelis*.  
 S. Crucis de Pinofo.  
 S. Pellagii in Serrato.  
 S. Pelagii de Arevilla.  
 S. Mariæ de villa aurea, *monialium*.  
 S. Christophori.



## INDEX.

- Buxetum S. Mariæ.
- S. Mariæ de Hortis, *D. Salmanticensis.*
- S. Leonardi apud Albam *D. E.*
- S. Saturnini iuxta Medmas.
- Charitatis in diœcesi civitatis Rodorici.
- S. Spiritus de Avila.
- S. Michaelis de Gross Monialium *D. Zamorensis.*
- Vitis S. Mariæ, *D. Oxoniens.*
- S. Michaelis de Bracaret Monialium.
- S. Salvatoris de ordax in Navarra.
- Bellipodium, *D. Ilerdensis.*
- Freznillum dominarum *D. Oxoniensis.*

### CIRCARIA ANGLIÆ BOREALIS.

- Viride stagnum, *D. Glascoensis in Scotia.*
- Candida casa, *D. Candidæ casæ.*
- S. Agathæ *D. Eboracensis in Anglia.*

### CIRCARIA MEDIA SIVE MERIDIANA.

- Nehus, *D. Lincolnensis.*
- Wellefort, *D. eiusdem.*

### CIRCARIA ANGLIÆ AUSTRALIS.

- Meldona, *D. Londinensis.*
- Langedona, *D. Cantuariensis.*
- S. Radegundis *Abbatia.*

### CIRCARIA SCOTIÆ.

- Fermia item S. Mariæ.
- Novocastrense *Monasterium.*

### CIRCARIA HIBERNIÆ.

- S. Trinitatis, *D. Tuamensis.*

### CIRCARIA FRISIÆ.

- Hortus B. Mariæ in *Frisia occidentali.*
- S. Bonifacii in *Dockum oppido.*
- Bethlehem monialium.
- Lidlumensis *Abbatia.*
- Bajomense *Monasterium monialium.*
- Infula S. Mariæ *Abbatia.*
- Merna *Virginum.*
- Clarholtum in *comitatu de Bentem, D. eiusdem.*
- Gratia S. Mariæ.
- Sepulchrum S. Mariæ *monialium.*
- Porta S. Mariæ *monialium.*
- Silva S. Mariæ *monialium.*
- Mons S. Mariæ.
- Buense seu Buonenense *Monasterium Virginum.*

### CIRCARIA WESTPHALIÆ.

- Cappenberg, *D. Monasteriensis*
- Varlarense *Monasterium apud Cosfeldiam, D. eiusdem.*
- Steinfeldia in *Eiffliâ diœcesis Colonienfis.*
- Silva S. Mariæ ad *muros urbis Colonienfis.*
- Hamburna, *D. eiusdem Clivia.*
- Ellen in *Ducatu Juliacensi diœcesis eiusdem.*
- Vossenich *Virginum*
- Reichstein & Nideche *prioratus duo virorum.*
- Seina, *apud Confluentiam Diœcesis Trevirensis.*
- Angelica porta in *tractu Mosellæ.*
- S. Catharinæ in *Tremonia diœcesis Colonienfis.*
- Mare *Virginum apud Novesium, D. E.*
- Dunnewalt *Virginum in Ducatu Clivensi.*
- Olinghausen, Rombeca, Cappela *monialium.*
- Romersdorpium, *D. Colonien.*
- S. Nicolai in Merna. *D. Monasteriensis.*
- Wedinghausense sive *Arensbergense Monasterium.*

CIR-



## INDEX.

### CIRCARIA WADEGOTIÆ

**W**Adegotia, *D. Trevirensis in Lotaringia tres habet Præposituras temporales.*

Lutra, *D. Wormaciensis.*

Ilmstadium, *corruptè Elestatense Monasterium, D. ejusdem, à B. Godefrido Cappenbergenfi comite fundatum.*

### CIRCARIA IVELDIÆ.

**C**ella Dei superior apud Herbipolim, *D. Herbipolensis.*

Cella Dei inferior olim monialium, *D. ejusdem.*

### CIRCARIA SUEVIÆ.

**D**omus Argentinensis, *prioratus in suburbano & Diœcesi Argentinensi, desit injuria Hæreticorum.*

Hagenauuia, *D. ejusdem, Præpositura ab Hæreticis destructa.*

Cella omnium Sanctorum, *præpositura D. ejusdem in Sylva Hercinia circa oppidum Oberkirch.*

Martalum sive Marchtallum, *Diœcesis Constantiens. ad Danubium Flumen in oppido ejusdem nominis. Hujus oppidi Dominus est ipse Abbas, sic vocari cæptus ab an. 1546. cum antea non nisi Præpositus diceretur.*

Sorethum Abbatia, *D. ejusdem.*

Augia minor sive Alba Augia, *D. ejusdem.*

Rotum sive Rodum Monachorum, *D. ejusdem.*

Rodum Dominarum, *quod est monialium.*

Porta cæli, *D. ejusdem prioratus non adeò vetus.*

Rogenburgum, *D. Augustanæ.*

Urfpergum, *A. D. ejusdem.*

S. Lacii, *D. Curienfis*

### CIRCARIA BAVARIÆ.

Steingadium, *D. Augustanæ.*

Scheffariense Monasterium, *D. Frisingensis 109. ex Præpositura facta est Abbatia an. 1599. pido & insula à Clemente VIII. impetratis.*

Nova Cella, *D. ejusdem Præpositura baud procul à Frisinga, ad Isaræ & Mosæ confluentem.*

Osterhovia, *D. Passaviensis, olim Præpositura, nunc Abbatia cum insula ab an. 1460.*

Siaga Præpositura in Austria sita, *gerens Insulam seu mitram ab an. 1449. quod rarum est. Sunt dein Abbates plurimi, qui hoc privilegio non gaudeant. 165. Sic & præpositus S. Jacobi in Frigido Monte Bruxellis. Item Formisellensis, & alii Præpositi Canonicorum Regular. in Flanaria utuntur mitra ex privilegio Apostolico.*

S. Salvatoris, *in Austria.*

Laurissa, *apud Vormatiam.*

Vindberga, *D. Ratisbonensis, olim præpositura, nunc Abbatia cum Insula.*

Spanchardum, *D. ejusdem.*

Vallis Virginum, *vulgò Meysenthal, Præpositura, monialium, D. ejusdem.*

Grivental alias Griphen, *D. Salisburgensis, Præpositura opulenta.*

Wiltina vel Wiltania, *D. Brixinensis.*

### CIRCARIA BOHEMIÆ.

**M**ons Sion vulgò Strahovia, *Abbatia hodie florentissima in urbe & D. Pragensi sita, in monte Srabow nuncupato, è regione palatii Episcopalis fundata, an. 1143. per Uladislavum Regem Bohemiæ, ut fuscè tradit Hagetius Wenceslaus in suis Chronicis.*

Doxanensis Præpositura, vulgò Doxan, *Virginum D. ejusdem fundata, an. 1144. per Gertrudem Reginam dicti Wenceslai conjugem, teste eodem Hagetio.*

Chotieslovienfe Monasterium, *D. ejusdem fundatum à B. Hroznata, fratre Ottagari Bohemiæ Regis, in Honorem S. Wenceslai Ducis & Martyris Bohemiæ & Patroni.*

Gotteschauuensis præpositura Virginum *ab eodem Hroznata fundata.*

Tepla, *D. ejusdem ab eodem B. Hroznata est fundata & liberalissimè dotata nam dependent ab ea 17. pagi, & aliquot oppida, in quæ summum jus Abbas hodie habet in uno eorum sunt due fodinæ una argenti, altera lapidum pretiosorum.*

Siloe, *filia montis Sion, nunc cum matre conjuncta.*

### CIRCARIA POLONIÆ.

**S.** Vincentii Monasterium in urbe & *D. Uratislaviens. hujus loci Abbas Joannes Queswitijs, curavit antiqua ordinis statuta, novis typis excudenda, anno 1588.*

Domus Dei, *D. ejusdem.*

Veconia, *D. ejusdem.*

Werinzia, *D. ejusdem.*

Suernense cænobium, *D. Cracoviensis.*

Vilhovia, *D. Gnesnensis.*

### CIRCARIA MORAVIÆ.

**L**uca, *D. Olomucensis Abbatia famosissima S. Wenceslao sacra, cujus loci Abbas Sebastianus Beilen, curavit breviarium Orâinis in folio excudi. Anno 1597.*

Bresca, *D. ejusdem.*

Collect. Script. Monast. Tom. VI.

(R) 2

Gratis



## INDEX.

Gradis seu Gradicense Monasterium, D. E. apud Olomucium.  
 Jherus, D. Pataviensis sive Passaviensis.  
 Porta Cœli, in urbe & D. Viennensi.  
 Rene Monasterium.

### CIRCARIA HUNGARIÆ.

S. Stephani Monasterium, D. Varadinensis.  
 S. Pauli, D. ejusdem.  
 Bienenle Monasterium diœcesis Strigoniensis.  
 Insula leporum, D. ejusdem.  
 Schirna, D. Iaurinensis.  
 Ratoldum, D. Vespriniensis.  
 Insula Lazari Quinquenlofensis.  
 S. Augustini, D. ejusdem.  
 S. Crucis, D. Raciensis.  
 S. Michael, D. ejusdem.  
 Ocra, D. Agriensis.  
 Geidel, D. Colocensis.  
 Iuvantia, D. Sagabriensis, monialium cœnobia disciplina monastica observantissimum An. 1294. in capitulo generali assignata fuit paternitas ut vocant, sive inspectio Monasteriorum. Hujus Circariæ quinque Abbatibus videlicet Montis Sion Lucensi, Sabarduvicensi, Luchoniensi, & Gradicensi.

### CIRCARIA SAXONIÆ.

S. Mariæ in urbe & diœcesi Magdeburgensi.  
 Gratia Dei, D. ejusdem.  
 Oldenburgum, monialium.  
 Servatius Lairvelzius scribit in hac Circaria aliquot Ecclesias Cathedrales seu Episcopales fuisse, ut Brandeburgensem, Havelburgensem, Raceburgensem & alias, in quibus præsidebat Abbas Ord. Præmonst. qui & Episcopus erat à suo collegio Canoniorum Præmonstratensium, qui in Cathedrali templo residebant, electus.

### CIRCARIA DANIÆ.

S. Trinitatis cœnobia, D. Lundæ.

### CIRCARIA SCLAVONIÆ.

Castrum spei.  
 Rubus, Monialium.

### CIRCARIA LIVONIÆ.

Regensis Ecclesia Metropolitana fuit olim ordinis Præmonstratensis, ut scribit Lairuelzius

### CIRCARIA NOMARGIÆ.

Buſcht, Item Merna.  
 S. Quirici cœnobia.

### CIRCARIA GRÆCIÆ.

Colabrica, D. Patracensis.  
 Episcopia in Cypro.

### CIRCARIA JEROSOLYMITANA.

S. Samuelis Monasterium in urbe Aconensi seu Ptolemaide.  
 S. Abacuc Abbatia.

### CIRCARIA ROMANA SIVE TUSSIÆ ET CALABRIÆ.

S. Alexii Cœnobia in urbe Roma, juxta Ecclesiam S. Sabinæ in monte Aventino, nunc à sodalibus Hieronymianis inhabitatur. Sub majori altari quiescunt corpora SS. Martyrum, Bonifacii & Hermetis. Adextrâ altaris asservantur gradus, sub quibus S. Alexius, in domo paterna post longam peregrinationem vixit ignotus. In navi ejusdem templi adhuc visitur sepulchrum cujusdam Abbatis Præmonstrat.

Parlitum, D. Parmensis.

S. Quirici cœnobia, D. Reatine, an. 1215. V. Auctarium in fine.

S. Mariæ de Parvoponte, D. Brundusina.

S. Petri de Camerota, D. Policastrens.

Barulense Monasterium.

Sic ferè Lairuelzius circarias distribuit ac distinxit, in suo indice cœnobia ordinis Præmonstratensis, edito cum optica regularium, Mussiponti Anno 1603.

Non possum hoc loco omittere, quæ de numero cœnobia ordinis Præmonstratensis ex variorum locorum monumentis, idem Lairuelzius recitat. Ac Slagæ quidem in Austria sic legitur parietibus aulæ inscriptum: *Diminuerata sunt ubique terrarum hujus candidæ familia cœnobia ante annum Christi millesimum ducentimum in univèrsam mille octingenta, Canoniorum quidem mille trecenta Sanctimonialium verò quingenta: exceptis prioratibus & aliis domibus minoribus.*

In cœnobia cellæ superioris apud Herbipolim ex vetusto codice Monasterii Steinfeldienfis sic legitur: *Hæc est summa claustrorum sive Monasteriorum ordinis Præmonstratensis: mille Abbatia, trecentæ Præposituræ, Cœnobia verò Sanctimonialium sunt quingenta. Insuper in ordine præfato, sunt sedecim Episcopatus: de his sunt septem Archiepiscopi & novem diœcesani Episcopi vide quæ supra.*



...  
...  
...


...  
...  
...

...  
...

...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...







O. n. H. G. 241.



